BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 D
14 M



ROMA
Stephanus Picart sculpsit Romae Sup. l.

VITA VENERABILIS
TORIBII ALFONSI
MOGROVEGII
Archiepiſcopi Limenſis,

Ex Actis legitimis de mandato Sacræ Rituum Congregationis opera Ordinarij confectis deprompta.

Authore Adm. R. P. Fr. Franciſco à S. Auguſtino Macedo Minorita Obſeruante Luſitano Lectore Iubilato, Publico Profeſſore Patauino, Veneto Ciue & Magiſtro Conimbricenſi.



Patauij Typis Petri Mariæ Framb. M.DCLXX.

Superiorum permiſſu.

Eminentiſs. & Reuerendiſs.

CARDINALI PRINCIPI ALTERIO

Domini noſtri Papæ Clementis X.

NEPOTI DIGNISSIMO

Vrbis Romæ Patrono.

EXimia virtus, Eminentiſſime Princeps, tua priuata in publicam vtilitatem erumpere geſtiebat, & omnis eam Eccleſia expectabat, nec ambigebat quin procedente die illuſtris ſe aliqua occaſio aperires, quæ te Reip. Chriſtianæ præficeret, vt ei poſſes impensè commodare. Itaque Clemente X. creato Pontifice, quem Diuina Prouidentia mirabili ratione inopinantem, & repugnantem ad ſupremum culmen dignitatis euexit, aditus factus eſt tibi nec ambienti, nec exoptanti ad ſacra adminiſtrationem Reipub. Ea mens Clementi eſt iniecta diuinitus inter cæteras nobiles cogitationes, & ſalutares curas, quas de communi ſalute ſuſcipiebat, vt te in partem muneris ſacri adſciſceret, & coniunctum ſanguine Nepotis titulo dignaretur, ac Patronum cauſarum Eccleſiaſticarum collata idonea facultate inſtitueret. Nouerat quippe tuam in ſuperos Religionem, ſtudium erga res ſacras, ardorem in tuenda fide, diligentiam in propagando Euangelio, in adminiſtranda Eccleſia peritiam, in gerendis negotijs dexteritatem, in conſilijs ca-

piendis prudentiam, in retinendis conſtantiam, in exequendis fortitudinem, quæ virtutes Principem decent. Nec cum priuatæ latebant, ſine quarum conſortio publicæ ſtare non poſſunt: Integritas morum ſumma, modeſtia rara, continentia mira; humanitas ſeuera, ſeueritas humana, facilitas intra reuerentiam, temperantia intra parſimoniam, autoritas præter faſtidium, grauitas extra acerbitatem. Perſpecta eſt erat tua in pauperes miſericordia, in miſeros benignitas, in afflictos propenſio, in officioſos gratia, in probos indulgentia, in calumnioſos auſteritas, in propudioſos acerbitas, in petulantes indignatio, in ſceleratos ſeueritas; ſciebat virtutes tibi amori, vitia odio eſſe; nec minus te diligi à probis, quàm timeri ab improbis. Iam verò, illa prærogatiua familiæ inclytæ Alteriæ: Præferre priuatis rationibus publicas, proprijs alienas, vt quæ alterius ſint anteponant ſuis, ea in te eminere videtur, ac multò plus poſtquam in Eminentiſſimæ dignitatis faſtigio collocatus es, Excubas in commune bonum, prodis foras, & verſaris palàm in Reipublica, omittis domeſtica, vt attendas externis, negligis tua vt conſulas alienis quæ exiſtimas tua, Princeps Alterius ſeruis alteris, & eo places Pontifici Clementi olim Alterio. Auges illius & voluptatem & famam; nam quid illi iucundius quàm alijs benefacere? vis beneficentiæ ſumma voluptas eſt! Ille tantùm amat imperare, quia imperando prodeſt; niſi prodeſſet, puderet Imperij. Imperare niſi proficiendo nec vellet ſi poſſet, nec poſſet ſi vellet. Quid glorioſius Clementi quàm ſtudere Reipublicæ, ſeque ſuis ouibus totum impendere, plorauit cùm eſt raptus ad Imperium, ſed proprijs lacrymis communem lætitiam preuenit, illæ lacrymæ in publicum riſum eruperunt; prope ſol eſt cum lacrymatur aurora: nunquam flores gratiùs rident, quàm cum copioſiùs irrorantur. Margaritæ lacrymis fœtantur, Chriſtus in lacrymoſo corde concepit Eccleſiam, Exijt hæc per vulnus luctu & ſanguine inuoluta. Exudijt Chriſtus Petrum per amarum fletum ad ouium ſuarum paſturam; hinc illæ Clementis lacrymæ innocentes, felicia & auguria, & initia fœliciſſimi Principatus extiterunt. Iam tum ille cor nobis per la-

erymas impendebat. Hoc vnum fecit inuitus Clemens quod alij libèntes faciunt, Imperare; ſed omnes ei libenter parent, qui inuitus dominatur. Atq; vt libentiùs obediant, Tu Eminentiſs. Princeps, Clementi ſimillimus tuis virtutibus efficis, ſic enim eum imitaris, vt referas, ſic refers vt exprimas, ſic exprimis, vt eum ſis nepos geminus videaris. Tu in Clemente Ideam inuenis, Clemens in te Exemplum, Tu per illum viuis, & ille in te reuiuiſcit, Ille te auxit dignitate, Tu illum fama, Ille tibi expectationem attulit, Tu illi exiſtimationem, nam tuæ virtutes ad illius opinionem pertinent. Ille quidem te eligendo magnam tibi partem exiſtimationis ſuæ commiſit ſecurus famæ ate profecturæ. Tu illum eligentem ſuis virtutibus præſtas, & ille te electum mente ac iudicio ſuo ante præſtiterat. Talem tu te prodidiſti, qualem apud ſe ille formauit. Formauit autem perfectiſſimum. Iuſtum Clementis votum fuit, & Tu voti Clementem compotem feciſti. Te ille probauit qui omnibus probaris. Illius præiudicium commune iudicium confirmauit; quidquid enim de te Clemens rectè præiudicauit, ei Populus Romanus calculum addidit iudicando. Tueris igitur beneficium, & reddis; atq; adeo gratiam compenſas officio. Nec inſolitum id eſt, cùm nemo te officioſior dum publicis fungebare muneribus extiterit. Clericus Apoſtolicæ Cameræ ſacra religioſè obijſti, Auditor Alexandri VII. iuris viuum te ſpeculum præbuiſti, Epiſcopus montis Phaliſci è paſtorali ſpecula gregi tuo vigilanter adſtitiſti. Purpuratus Pater ad ſupremum Eccleſiæ euectus ordinem ab eodem Alexandro omnes numeros virtutis Cardinalitiæ impleſti, donec à D. noſtro Clemente X. propinquo tuo ad Archiepiſcopatum Rauennæ, & Patrocinium Romanæ ſedis ac Vrbis aſſumptus prope ipſum à quò non aberas animo, conſtitiſti, & Pauluciæ familiæ decora ad Alteriam mutato cognomine tranſtuliſti; eamque abundantem proprijs & antiquis & recentibus nouo honorum genere cumulaſti. Tibi ergo ſummo & ingenita nobilitate, & geſtis Magiſtratibus Viro hanc vitam Venerabilis Patris Aphonſi Turibij Limenſis Archiepiſcopi, quam ſcribi latinè curaui, dicatum venio, cuius virtutes mi-

ra-

rabiles Nonus ille admiratus eſt Orbis in quo ipſe vixit ciuis cæleſtis, contemptor opum, quibus ille abundat, animarum ſalutis cupidus, quibus Paſtor præerat. Suſcepi autem hanc mentem, quòd vidi magnam tibi cum eo eſſe ſimilitudinem virtutis, præclaris illuſtratam exemplis, adeo vt niſi tempora diſtarent, germanos & te & illum conferendo vtriuſq; opera, teſtarentur, & quidem qui noſti quanti faciendi ſint qui de Chriſtiana Repub. optimè & meriti ſunt, & merentur, non dedignaberis Turibio diuinos honores procurare, qui diuinam gloriam in ijs remotiſſimis barbararum gentium prouincijs longè latèque propagauit. Æquum eſt in ara collocari eum, qui ſe toties quaſi victimam pro Aris Romanis mactandum præbuit, & adſcribi ſanctorum faſtis illum qui animas innumerabiles libro vitæ per baptiſmum aſſignauit. Dabis operam, Eminentiſſime Princeps, pro tua & Religione, & pietate, vt illius Paſtoris memoria cōſecretur, quem totus ille aureus Occidēs veneratur. Gratum facies Hiſpaniarum Regi Catholico, eiuſq; Sereniſs. Reginæ Matri, qui apotheoſim & optant, & orant, vt communibus totius Hiſpanici Imperij votis ſatisfaciant.

Erit hoc tibi, Eminentiſſime Princeps, honori, ſummo Pontifici gloriæ, Hiſpaniarum præſidio, Romanæ Eccleſiæ ornamento. Vale.

Tuus Obſequentiſs. Seruus
Ioannes Franciſcus à Vallisoleto.

LE-

Lectori Beneuolo.

QVintùm ſcribo Vitam Sanctorum, quoniam in hoc genere ſtyli exercere me pij, ac amici homines eliciendo ſuis à me ſcripta precibus voluerunt. Rogatus, fateor, ad ſcriben-
um ſemper acceſſi, inuitus numquàm, quòd libens
n hoc argumento verſor, tum meę priuatæ, tum
ommunis ſalutis cauſa. Ad quam magni eſſe mo-
nenti puto lectionem vitæ Sanctorum. Id me exem-
lo docuerunt Auguſtinus, & Ignatius, qui ab illa
nitium ſuæ ad Deum conuerſionis ceperunt. There-
a inſuper teſtimonio fatetur ſuo, multùm ſe profe-
iſſe legendo vitam Auguſtini ab eodem in ſuo Cō-
eſſionum libro enarratam. Oportet autem, cui ſcri-
endum ſit, eum attentè, & accuratè legere, quæ
andare litteris debet. Equidem de quibus ſcripſi,
orum geſta diligenter quæſiui, virtutes recogno-
,& nulli aut induſtriæ, aut labori peperci, vt omnia
olligerē, quę tum ad fidem faciendam, tum ad pieta-
excitandam pertinerent. Innatum mihi eſt, lector,
udium veritatis, quod accendit religio: quas enim
ripſi vitas, ſi vnam excipias, eæ ad mouendos ani-
os eorum, qui cauſis Apotheſeon præſunt, repræ-
ntatis conſecrandorum virtutibus à me ſcribeban-
r. Igitur acta, & quęcumque alia nanciſci pote-

ram,

ram, ſcripta ſedulò, ſubtiliterque inſpexi, vt omnia penitùs conſtarent. Quòd ſi alias diligenter feci, in hac certè vita, quam diligentiſſimè potui, præſtiti, vt nemo me de incuria, negligentia ve accuſare poſſit. Nec minoris operę fuit ſcriptio: curaui quippe omnia lumina, quorum capax eſt huiuſmodi genus ſcriptionis pro meo virili adhibere, vt elegantia verborum, veritatem geſtorum condiret, qui ex Tullio didici, hiſtoriã non vti priſcis ante illum temporibus, nudam, & rudem, ſed vti conſequentia tulerunt, indutam, & ornatam Induci oportere: citra pompam tamen, & ambitionem oratoriam, à qua Hiſtoria eſt aliena. Seruaui quoad potui decorum. Nam in alijs ſcripſi floridiùs, in hac, quòd Pontificis erat, grauiùs. Hæc, mei ſunt muneris, de quibus te monere lector volui. Res tu lege, ac mirare virtutes tanti Viri, cui paucos pares ſua, & noſtra tulit ætas, tum doctrina, tum ſanctimonia. Tibi perſuaſum eſto Toribium ideam Chriſtiani Pontificis eſſe, qua nihil eſſe, vel excogitari poſſit perfectius. Lege, ac fidem meam liberabis. Huius verò vitæ ſcribendæ mihi auctor fuit Franciſcus à Valliſoleto Limenſis Canonicus vir nobilis, ac pius, Toribij conſecrationis nomine illius Prouinciæ curator qui totus in hanc curã incumbit nulla pij officij parte prætermiſſa, cui eo eſt nomine magnoperè gratulandum. Vale.

IN-

INDEX CAPITVM

CAP. I. *Stirpis Mogrouegiæ antiquitas, & nobilitas.*

CAP. II. *Patria, parentes, & natales Torribij.*

CAP. III. *Eiuſdem educatio, mores, & ſtudia Valliſoleti.*

CAP. IV. *Salmanticam ſtudiorum cauſa contendit.*

CAP. V. *Salmantica cum patruo Conimbricã proficiſcitur.*

CAP. VI. *Redit Salmanticam, amittit patruum, in Collegium Sancti Saluatoris recipitur.*

CAP. VII. *In collegio viuit religiosè, ſuſcipit peregrinationem ad S. Iacobum.*

CAP. VIII. *Redit ad Collegium, creatur Inquiſitor Granatenſis.*

AP. IX. *Eligitur Archiepiſcopus Limenſis, eius conſecratio, nauigatio, appulſus.*

AP. X. *Panamam primùm, deindè Limam contendit; ea regio, ciuitaſque deſcribitur.*

AP. XI. *Limæ vrbis magiſtratus Eccleſiaſtici, politici, redditus Diæceſis.*

AP. XII. *Status Eccleſiæ Limenſis cùm eius curam ſuſcepit Toribius, Ingreſſus in vrbem, initium Epiſcopatus.*

AP. XIII. *Ordinat Eccleſiam, diſtinguit Conuentus, res ſacras conſtituit.*

AP. XIV. *Priuata, ac domeſtica vita exempli ſuos erudit, & confirmat.*

AP. XV. *Conuocat Concilium Prouinciale; eius acta, & confirmatio.*

AP. XVI. *Controuerſiæ ortæ ex inſtitutis Concilij, & diuerſæ aliæ ſynodi habitæ à Toribio.*

AP. XVII. *Seminarium erigit, & quid ex eo diſſidij cum Prorege extiterit.*

AP. XVIII. *Varijs modis ad patientiam Toribius exercetur, ac proficit.*

CAP. XIX. *Eriget Sacellum ſacræ imagini B. Mariæ Capocauanæ, & fundat Monaſterium S. Claræ.*
CAP. XX. *Pontificia munera ritè, & accuratè exercet.*
CAP. XXI. *Quanta fuerit Toribij in adminiſtranda Eccleſia & peritia, & prudentia.*
CAP. XXII. *De obſeruantia erga Romanos Pontifices, & horum erga ipſum beneuolentia.*
CAP. XXIII. *Toribij ſtudium, & ratio in Vinea Domini ſpiritualiter excolenda.*
CAP. XXIV. *Eccleſiaſticos reditus ordine, ac ritè diſtributos in communem pauperum vſum collocat.*
CAP. XXV. *Suſcipit, & obit munus viſitandi Diœceſim, & quomodo viſitauerit, exponitur.*
CAP. XXVI. *Mirabiles quidam euentus, qui inter viſitandum acciderunt, referuntur.*
CAP. XXVII. *Virtutum, quæ foras ad communem vtilitatem emanant, conſideratio.*
CAP. XXVIII. *Priuatæ virtutis exempla illuſtria referuntur.*
CAP. XXIX. *Caſtimonia, & integritas animi, corporiſque expenditur.*
CAP. XXX. *Aegrotat periculosè, obit ſanctè, ſepellitur piè, transfertur ſplendidè.*
CAP. XXXI. *Mirabilia nonnulla enarrantur, quæ in Toribij Vita contigerunt.*
CAP. XXXII. *Alia euenta poſt eius mortem mirabilia commemorantur.*
CAP. XXXIII. *Fama de illius ſanctitate conſtans aſſeritur.*
CAP. XXXIV. *De illius memoria conſecranda agi & in Indijs, & in Hiſpania cæptum.*
CAP. XXXV. *Authorum, qui de eo honorificè aut ſcripſere, aut dixere Catalogus, ac quorumdam conceptis verbis teſtimonia.*

Finis Indicis Capitum.

Proteſtatio Auctoris.

SAntiſs. D. N. Vrbanus VIII. Anno 1625. in S. Congregat. S. Romanæ, & Vniuerſali Inquiſitionis decretum edidit, idemq; confirmauit anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu martyrij fama celebres obierunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumq; beneficia tanquam eorum intercesſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij; & quæ hactenus ſine illa impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem Pontifex anno 1631. ita explicauit, vt nimirùm non admittantur elogia Sancti, aut Beati abſolutè; & quæ cadunt ſupra perſonam; benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd ijs nulla ſit authoritas ab Eccleſia Romana: Sed fides tantùm ſit penès Authores. Huic decreto, & illius declarationi inſiſtendo, profiteor me ſenſu ijs prorsùs conformi omnia, & ſingula, quæ in hoc opere ſcribo, accipere, atque ab alijs accipi velle.

Approbatio R. P. Georgij de Venerijs in Conuentu Vineæ Venetiarum Lectoris S. Theologiæ.

OPus iſtud, cuius titulus eſt *Vita Venerabilis Patris Toribij Alphonſi, &c.* ex iuſſu Reuerendiſs. P. Generalis ego infraſcriptus diligenter inſpexi, cùmque nihil contra Catholicam fidem, aut bonos mores, ſed potiùs omnia ad eiuſdem fidei exaltationem, & ſtudioſorum profectum vtilia inuenerim, typis mandari poſſe cenſeo. in quorum fidem, &c.

Dat. in ſuprad. Conuentu die 10. Februar. 1669.

Fr. Georgius de Venetijs in Conu. Vineæ Venet. S. Theol. Lect.

Approbatio R. P. Feliciſſimi Clodien. in Conuentu S. Franciſci à Vinea Venet. S. Theol. Lect.

CVm de mandato noſtri Reuerendiſs. P. Generalis diligenti, qua potui, cura perlegerim librum, cui in-

ſcribitur titulus *Vita Venerab. Toribÿ Alphonſi, &c.* nihilq; in eo, quod orthodoxæ fidei, aut bonis moribus contrarium ſit, ac diſſonum repererim, imò pio, deuoto, religioſo, ac eleganti ſtylo, vt lectores ad cœleſtium contemplationem eleuet, compoſitum deprehenderim, vt typis mandetur cenſeo, ac ſummoperè cupio, ad communem vtilitatem.

Dat. in præf. Conuentu die 10. Februar. 1669.

Fr. Feliciſſimus à Clodia S. Theol. Lector.

Fr.Ildephonſus à Salizanes Miniſter Generalis Ordin. Minor. Seraphici electus Epiſcopus Ouetenſis, dilecto P.Fr.Franciſco à S. Auguſtino Macedo ſalutem.

LIbrum inſcriptum, *Vita V. Toribÿ* à te compoſitum à duobus noſtris Magiſtris Theologis approbatum imprimendi poteſtatem tibi facimus, ſeruatis, vti conſtat, ſanctionibus Apoſtolicis, & noſtri Ordinis Conſtitutionibus. Vale.

Dat. Madritti 10. Maij 1669.

Fr. Ildephonſus à Salizanes.

Noi Riformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del P. Inquiſitore nel Libro intitolato *Vita Venerabilis Toribÿ Alphonſi Hiſpani Mogrouegÿ Archiepiſcopi Limenſiis*, non eſſerui coſa alcuna contro la S. Fede Catholica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza à Giò: Pietro Brigonci di poterlo ſtampare, oſſeruando gli ordini, &c.

Dat. 14. Giugno 1669.

Aluiſe Contarini Cau Proc. Riform.
Battiſta Nani Cau. Proc. Riform.

Angelo Nicoloſi Segretario.

VE-

VENERABILIS PATRIS
TORIBII ALFONSI
MOGROVEGII
Archiepiſcopi Limenſis,

ELOGIVM.

Toribium qui dicit: Ideam ſanctimoniæ,
Fontem doctrinarum,
Summam virtutum dicit.

Claros natales illuſtrauit factis,
Nobilitauit meritis,
Ornauit exemplis.

Stemma gentilitium lemniſcis
Pontificijs cinctum
Palmarium reddidit.

Salmanticæ ſtuduit. Salem
In mantica doctrinæ
Ad Indos rudes laturus.

Educatus in Collegio S. Saluatoris
Multis in America
Saluti futurus.

Qui ad Limam dicta, & facta
Reuocabat Limæ
Antiſtes creatus.

Ad nouum orbem miſſus
Quòd vetus ſatis non erat
Ad Theatrum virtutis.

Poſt Columbum Aquila, vbi
Ille aureum nidum poſuit,
Pauperem Cathedram locauit.

In auriferis regionibus,
Vbi cæteri ditantur,
Se depauperauit.

Alij lucrantur aurum,
Ille perdidit, vt
Lucraretur animas.

Expalluit de nouo aurum,
Viſo Toribio
Euerſore auri.

Sacra rité fecit, vbi ſacra
Auri fames ritu
Barbaro effodiebat aurum.

In loco, vbi effoſſi viui
Ad excauandum aurum
Ille infoſſos mortuos ſuſcitauit.

Paſtor non accepit oues,
Sed lupos, ac ex ijs
Oues effecit.

Non illæ vocem eius nouerunt:
Sed ille nouit vocem earum,
Quód earum linguas didicit.

Non vèniebant ad illum oues;
Sed ille ad eas ibat
Per auia, per inuia.

Oues inuenit in deſerto,
Nullam in deſerto reliquit,
Ex deſerto ouile fecit.

Vbi nullus aditus, nulla porta
Ipſe oſtium aperuit,
Cùm ſe oſtium reddidit.

Mercenarius eſſe non potuit,
Qui nullam vnquam
Mercedem exegis.

Pluſquam bonus Paſtor fecit.
Ipſe pertinuit ad oues,
Non oues ad ſe pertinuere.

Pauit oues, ſed non ſe pauit
De ouibus: hæ de Paſtore
Affatim paſcebantur.

Cętera pauper: gregibus abundabat,
Non erat huius pauperis
Numerare gregem.

Sæpè animam ſuam poſuit
Pro ouibus ſuis,
Oues nunquam pro illo.

Tam eas habuit caras,
Vt pro anima haberet,
In illis viuebat.

Non illarum vtilitates,
Sed infirmitates
Ad ſe transferebat.

Nouum genus accepit ouium,
Nudum, ac ſine vellere,
Quas veſtire debebat.

Alij veſtiuntur ouium lana,
Oues Toribij nudæ
Lana carebant.

Pro-

Procul ab aureo vellere
Americanæ oues
Tenues, pauperrimæ;

Aurum interdum ferunt;
Sed dominis. His non ſibi
Vellera ferunt oues.

Paſtor fuit Toribius:
Sed propior oui
Lac ijs, & lanam dabat.

Lac doctrinæ inſtillabat;
Paſcebat famelicas,
Operiebat nudas.

Nec ſolùm Paſtor fuit
Vt curaret, ſed etiam
Vt corrigeret.

Ideò baculo inſtructus,
Qui ducit, & pulſat
Vtrumque ex amore.

Quas

Quas diligebat, arguebat;
Et caſtigabat,
Si quæ errantes deuiarent:

Et quidem Toribius fuit
Ad virtutem cereus,
Ad vitia ferreus.

Clemẽs Paſtor, & iuſtus;
Qualem habet Eccleſia,
Clementem Decimum.

Hunc Toribius minor in ſede
Præfigurauit paribus
Meritis, ac virtutibus.

Illum Clemens iuſtus meritorum
Æſtimator, & Remunerator
Adſcribet Sanctorum faſtis.

Eo augebit numerum Beatorũm,
Quem nouit omnibus
Eſſe numeris abſolutum:

Quem

Quem Octauus Clemens
Viuum laudauit,
Decimus conſecrabit.

Iure Clemens Toribio,
Qui tot Aras foris
Poſuit Chriſto,
Aram Romæ ponet.



Venerab. Dei seruus D. Turibius Alphonsus Mogrouejus Hispanus, Archiep. Limensis,
Peruuianæ gentis lumen clariſsimum, fidei et Ecclesiast. authoritatis scutum inexpugna:
bile, pietate in Deum, charitate in proximum, prudentia in regimine, constantia in
aduersis illustris, signis et virtutibus admirãdus, obijt die 23. Martij. An. Dom. 1606.
Superioꝝ permiſsu ætat. 68. Pontif. 25. G: Valet Sculpsit Romæ

VITA VENERABILIS TORIBII ALPHONSI Mogrouegij Hiſpani ARCHIEPISCOPI LIMENSIS,

CAPVT I.

Stirpis Mogrouegiæ Antiquitas, & Nobilitas.

FAmiliarum in Hiſpania, quæ Fundum, & larem habent: & foris vexillo, & domi cacabo (Gentile id, ac vetus prouerbium eſt) vtuntur, vnam Mogrouegiam eſſe conſtat. Eius initia in prouincia Lieuana intra montes, Europę dictos, ante Maurorum irruptionem poſita, venerabilem vetuſtatem trahunt, & tranſmittunt ad poſteros. Ac vti amnes, quorum fons ob longitudinem curſus ignoratur, nobi-

liores habentur, ita & ſtirpes, quarũ Origo propter antiquitatem temporis latet, clariores exiſtimantur. Quare huic Mogrouegiæ Vetuſtas Originis, quæ omnis memoriæ retro commemorando redeuntis curſum tranſcendit, magnæ commendationis nobilitatem affert. Hoc tamen ea omnibus claris fœlicior: quòd hi longiſſimo tractu multas hinc inde colligendo aquas, non paucas inſalubres ac ſordidas admittunt: Domus veró Mogrouegia in tam longo temporum curſu, cùm plures admiſiſſet alieni ſanguinis venas, nullam contraxit labem: imò ex collectione purior, & nobilior euaſit. Quot enim in eam aliunde influxerunt, ijs omnibus natiuus inerat ſplendor, & nitor: nec earum ſolùm quas admiſit, ſed etiam quibus ſe infudit conſortio nobilitata eſt. Argumento ſint ex ijs Capiuaccia, Quignonezia, Cocia, Mugnoſia, Ceronia, Quercea, Morania, Nieteſia, Fundallia: omnes ſplendidæ. Ex alijs veró, quæ illam ad ſe traxere, Vega, Vedoya, Lara, Infantadia, Beneuentana, ſiue Pimentelia, & Aſtorgia, quæ ſunt Dynaſtarum. Non deſunt qui teſtentur Toribium, cuius vitam ſcribimus, conſobrinum fuiſſe Gondizalui Ramirezij Guzmanij Domini Toralij, à quo deſcendit Perez Guzmanius Dux Medinæ Turrium, claritudine ſanguinis, ſplendore domus, opum abundantia, celebritate nominis illuſtris. Hac perſpecta nobilitate Ioannes Pimẽtelius Frater Comitis Beneuentani confirmauit: noſtrum Toribium cum quouis

Hiſpaniarum Dynaſta, quòd attinet genus, conferri poſſe. Huc faciunt honeſtates ab Regibus in eam congeſtæ. Vna eſt ex ijs quæ in libro vitulino ſcriptæ habentur, & Saluadæ appellantur. Aſyli prærogatiua fruitur ad reorum eò confugientium tutelam. Omnibus eius Familiæ licét in Diplomatis inſcribi: Filij Frugi, & Primogenito domus adijci: Equiti, vt reddas N. N. Filius Frugi. Hic ſolet die à natali Domini ſecundo in valle Bari ſui iuris, Prætores, Ædiles, Aparitores creare, qui ab eo accepto Ramo frondenti (id eſt poteſtatis Inſigne) iurisdictionem exercent ei priùs Sacramento ſubtus arborem opacam dicto: documento; quos regunt populos ijs Patrocinio, quod vmbra ſignificat, eſſe futuros. Rex Sanctius Rodericum Gonſaluum Mogrouegium à cuſtodia Armorum, & Eleemoſynis fecit: idem Martinum Rodericum Mogrouegium Orothyriarcham cum iure tranſmittēdi inſtituit; addidit quiddam memorabile: vt collactanei eius familię liberorum nobiles exiſterent. Priſcis temporibus cum & ętas rudior, indoles aſperior erat, & circumſtabant Mauri arma exercuerūt, quæ iuſta & neceſſaria tempora reddebant. Poſteà cum exactis hoſtibus pacis afflauit aura, ſtudijs ſe ſe litterarum dediderunt & togam profeſſi mitiores magiſtratus obierunt: & temporibus obſecuti totos ſe ad conſulendum patriæ traduxerunt.

CAPVT II.

Patria, Parentes & natales Toribij:

IN ea Regione Hiſpaniæ, quæ Legionis Regnum continet, quęque Maurorum expultrix, & aſſertrix libertatis fuit, altiſſimi ſurgunt montes, in quorum retruſo ſinu ſpelunca illa Couadonga penitus abditur, quæ Pelagium Regium iuuenem futurum patrię vindicem primùm excepit, deinde emiſit ad Mauros debellandos, & exigendos. Prope hanc ſigna cũ ijs contulit, & victos in fugã vertit. Montis, cuius viſcera format, radices mordet amnis taciturnus Deua, lentas, ſed memorabiles vndas trahens; quod ad eiuſdem ripas idem Pelagius Mauros primo prælio ad Couadongam pulſos ſecundò fregit, profligauitque. Viſitur ingens labes auulſæ rupis, quæ cum ſe caſu, an miraculo, à reliquo montis corpore abrupiſſet ſexaginta tria, tam erat immanis, Maurorum millia nullo Chriſtianorum lęſo ruina ſua oppreſſit. In ijs duobus prælijs ſigniferum fuiſſe conſtat quendam (cuius nomen intercidit) equitem Mogrouegium: idque teſtatur Haſtile in tholo Sacelli S. Martini, hodieque ſuſpenſum, clarum gentis anathema, confirmatque cantilena quædam antiquiſſima, quę circumfertur numeris inconditis rem geſtam referentibus, qui quò horridiores ſunt eò maiorem faciunt fidem.

Hu-

Huius regionis, & familiæ fuit Toribius, natus oppido Maiorica triginta ferè à Legione vrbe milliaria (quod totius prouinciȩ caput eſt) frequēti & opulento; nunc propter Sanctiſſimi viri natales venerabili. Alphonſum Mogrouegium eiuſdem prætorē oppidi: & Annam Querceſiam Moranam parentes pios iuxtà, & illuſtres habuit. Hæc eſt illa Anna, quæ ſanguinem Querceſiæ & Fundalliæ ſtirpis traxit, eumque ornauit virtutibus. Quȩ cum viro annos plures cùm vixiſſet, nunquam ſe ei, cum par eſſet, æquari paſſa eſt. Inſignem annum natalem nactus eſt infans MDXXXVIII, quo anno natus Aronæ haud procul Mediolano S. Carolus Borromæus, ei iamtum ȩqualis ſplendore generis, poſteà magnitudine virtutum haud inferiori futurus. Diem quo lucem vidit obruit negligentia rudis ætatis, quæ geſta potiùs, quàm temporum momenta curabat. Filiorum natu tertius fuit: atq; adeo iam tum à parentibus ad litterarum ſtudia deſtinatus; in eam ſpem ſanctè, pièq; educatus cerā ſe finxit ad informationem virtutis, cuius præclarum in illa ætatula ſpecimen dedit. Aras erigere, cùm regere ſe non poſſet, eas ornare, icones ſacras adhibere, luminaria accendere, ingeniculari, precari, & pro ingenio puerili, quod ad imitationem eorum quæ à grandioribus fieri videt pronum natura eſt, ritus & cȩremonias ſacerdotum imitari: niſi ſi fortè iam tum Diuina prouidentia eum ad ſacra rite obeunda informabat, & in-

formando futurum poſtea ſacrorum Antiſtitem ſignificabat.

CAPVT III.

Eiuſdem educatio, mores, & ſtudia Valliſoleti.

INfantiam pietate imbutam excepit pueritia virtutibus ac litteris exercitata. Bonam Toribij indolem ac genium ad diſciplinas comparatum cum obſeruaſſent parentes, primis eum rudimentis informandum præceptoribus Grammaticæ tradiderunt, quibus excultum ante pubertatem, ſed iam adultum Valliſolettum nondum vrbem, at nobile ac frequens oppidum ad ſcholas publicas ibi apertas miſerunt. Tertium ferè decimum agebat annum in acerba ætate maturus iudicio, cuius haud obſcura extabant indicia. Receptus in ſcholam, inire rationem ſtudiorum, attendere animo, magiſtris obtemperare, docentes audire, obiurgantes ferre, penſa ab ijs impoſita reddere, in officio eſſe, nihil prætermittere eorum quæ ſtudioſis præſcribebant: ſiue ad Doctrinam, ſiue ad mores pertinerent. Delectum ſociorum fecit: quòd in conſuetudine, & vſu amicorum magnum ad vitam ſanctè, ſiue ſecus degendam momentum eſſe nouerat. Vtebatur paucis, modeſtis, pudicis, verecundis, taciturnis, abhorrebat à garrulis, & impudentibus, & quoniam ludos & delicias

ſcopulos adoleſcentiæ eſſe nouerat, ab vtriſque prorſus abſtinuit. Duas tantùm vias terere ſolitus, quæ ad templum, & ſcholas ducerent. Loqui parùm, meditari plurimùm, ſecum habitare: nec idcircò tamen cæteros negligere, aut ijs ſe aſperum, & faſtidioſum præbere: modeſté, ac ſuauiter cum æqualibus agere: cum ſuperioribus demiſsé. Rem ſcholaſticā curare, ac indies magis proficere. Itaq; breui inter cæteros excelluit; & magnam de ſe expectationem concitauit. Ac fuit tamen quod non mediocriter eum ſecundis euntem ventis cōturbauit. Natum eſt ei in ſiniſtra manu tuberculum quoddam, quod initio exiguum, paulatim in enormem magnitudinem creuit; id quód adhibita medicorum ope, nihil remittebat, affligi vehementer cœpit, vt qui de ineundo Sacerdotio cogitabat, videbatque minus ſe ad id munus eo contracto malo idoneum fore. Vis mœroris illum compulit ad remedium à ſuperis petendum. Erat in magna Valliſoletti veneratione effigies Diuæ Matris Virginis Mariæ, á Sacrario nuncupatæ; hanc ille magnoperé iam antea colebat, ac ſtudio medendi affectæ manui impenſiùs coluit. Itaque ad eius altare miſſam celebrari fecit; cui interfuit, & Sacram Euchariſtiam ſumpſit, ſeque Deiparæ vehementer commendauit, ac ſignum crucis Mariæ nomine inuocato manui impreſſit. Subitó ſenſit tuberculum enormiter tumidum detumeſcere, ac omninó euacuato pure reſolui; ita vt confecto

ſacrificio penitùs euanuerit; vt Miraculum fuiſſe nemo ambigeret. Liberiore deinceps animo ad litteras incubuit, ac per gradus ad doctrinas liberalium artiũ, Iuris Canonici, & Ciuilis peruenit: quas ex profeſſo didicit; donec Baccalaureus euaſit, ac ingentem ſe poſteà virum fore, ob ſingulare, quod in eo gradu ſuſcipiendo ſpecimẽ prębuit, omnibus perſuaſit. Illam certé deinceps egit in illa Valliſoletana litterarum ſcena ſcholaſticam perſonam, vt anguſta eſſe pro tanti viri magnitudine videretur: ac proindé amplius ei theatrum quærendum fuerit, quòd eruditionis, qua abundabat, capax eſſet.

CAPVT IV.

Salmanticam ſtudiorum cauſa contendit.

SAlmantica eſt Vrbs in Caſtella, quæ nunc Vetus dicitur, & celebris, & frequens, quæ quod aeris, & aquę ſalubritate fruitur, accommoda viſa eſt Regibus antiquis ad Academiam ibi collocandam. Ea nobiliſſima totius Hiſpaniæ, ac celeberrima propter facultatum multitudinem, doctrinarũ diuerſitatem, pręceptorum & copiam, & præſtantiam, collegiorum numerum, & amplitudinem, ſcholaſticorum frequentiam habetur. Eó mitti Toribium iam adoleſcentem placuit parentibus: ac eò magis, quòd ibi tunc Ioannes Mogrouegius patruus magnæ doctrinæ fama vigebat. Locum ille obtinuerat in Collegio, quod appellant Sancti

Saluatoris, vbi Trabeam accepit litterariam Anno 1639. Rectore Didaco illo Couaruuias, ob iuris vtriuſque eximiam doctrinam, tot libris teſtatam memorabili. Tenebat Toribium ingens deſiderium videndæ vrbis, quò Athenæ conceſſerant. In qua tot ſunt Collegia, quot Palatia: tot ſcholę, quot domus: tot ſcholaſtici, quot ciues: Fora, plateę, compita reſonant lectionibus: ac ipſi quodammodo parietes ex impactis docentium, & diſputantium vocibus litterati redduntur. Ibi é crepantium cathedrarum ſono aer eruditus exiſtit: & vicinus fluuius non ramenta, ſed monumenta diſciplinarum trahit. Acuta Hiſpanorum ingenia ſubtilitate cęli delectantur. Eó tum confluebant ex omnibus Hiſpaniarum Prouincijs innumeri Auditores, maximam partem nobiles, & copioſi, quorum æmulatio accēdit ſtudia, adeo vt ſæpé in factiones eant, ac non modò ingenium in ſcholis, ſed gladiorum etiam in foris acumine de palma contendant. Eo fit doctrina carior, & pretioſior: & quidem ſciunt & percutere pluteos, & ferire gladijs: molles manus calami non reddunt, imò aſperas, & duras ad vulnera infligenda. Purpurat tum maximé Academia cum Candidati Cathedrarum exiſtunt. Nam dum ſingulę ſuos Prouincię petitores immittunt, ex concurſu oritur contentio, quæ in apertam pugnam erumpit. Verúm obtenta ab eo, cui plures ſuffragantur, Cathedra, ad pacem, & officium redeunt. Ferunt, olim ad viginti ferme millia

ſcholas auditores frequentaſſe: poſtea decreſcente Hiſpanorum ob ſuſceptas in remotas Indiarum plagas expeditiones, & contracta cum finitimis Principibus bella numero, ad ſeptem, octo ve millia ingens illa multitudo redacta. Ea princeps Academiarũ ab vno, ſed primariæ nobilitatis Rectore, cuius annuus eſt magiſtratus regitur: erga quem ſumma eſt ſcholaſticorum reuerentia: vt miraculo propè ſit, tot feroces diuerſarum prouinciarum alumnos eius non modò imperio, ſed nutui obedire. Magiſtrorum ſumma eſt in docendo diligentia acuente ſtudium ſtipendiorum amplitudine. Ac ſicut olim Sparta duces bellicoſa Ciuitas & armorum peritia reliquæ Græciæ, & externis Prouincijs dabat, ita Salmanticenſis Academia magiſtros, ac magiſtratus togati generis cæteræ Hiſpaniæ, ac remotiſſimarum Gentium populis ſufficiebat. Ex hac ad Indos Prætores, qui ius dicerent, legesque conderent, & conſeruarent, Antiſtites, qui ſacris prçeſſent; Curiones, qui Eccleſias adminiſtrarent, Canonici, qui Diuina Officia obirent, tanquam ex ſeminario prodierunt. Huic nouus Americæ Orbis doctrinam, & cultum, & politiam acceptam referre debet. Idque in hac Hiſtoria curſim geſta Toribij apparebit legentibus. Excepit Toribium Salmantica ijs beneuolentiæ ſignis, vt prçſentire iam tum videretur magno illum ſibi alumnum futurum ornamento. In contubernium, & diſciplinam Patris Ioannis Mogrouegij acceptus, ſuam ei

breui

breui & pietatem in ſacris, & ſedulitatem in ſtudijs probaui. Iuri Canonico operã dedit, nec Ciuiſe, quod illi affine eſt, neglexit, patruum, qui in vtroque miré excelluit, imitatus. Aſſuetus templo, & ſcholæ vtrumque frequentabat, diſcrimine temporum ſeruato. Vtriſque ſtudijs vacabat domi: vbi erat ad manum ingens materia ſtudiorum Bibliotheca inſignis patrui magno ſumptu, & labore collecta; in quam ſe abdere ſolitus cum libris intimé habitabat, ac breui tam in ijs eruditos habuit oculos, vt omnium nomina, & ſenſus videretur agnoſcere.

CAPVT V.

Salmantica cum patruo Conimbricam proficiſcitur.

PAtrui Ioannis Mogrouegij fama excitauit animum Ioãnis III. Luſitaniæ Regis, qui tũ (annus rat MD LIII.) Conimbricę Academiam inſtituebat, ad idque ſummos vbique Gentium Magiſtros diligentiſſimè inquirebat ad Mogrouegium, cuius celeberrimum erat nomen, oblata Cathedra inuitãdum: nullis quippe ſumptibus Rex optimus parcebat, vt inſignes præceptores compararet; quod eò ita proceſſit, vt alias pene omnes Europæ Academias ſpoliarit, vt ſuam locupletaret Conimbricẽſem. Quam erectis quinquaginta Cathedris aſſignato ſingulis ſtipendio ampliſſimo celebrem in

Europa effecit. Ad illarum vnam (cui veſperariæ nomen eſt) canonici iuris euocatus Ioannes cum Toribio ſocio Conimbricam venit. Suſcepit docendi munus, ac inter illos excellentes magiſtros, flores Academiarum ita ſe geſſit, vt nemini cederet; itaque paulò poſt ad Cathedram primariam eſt euectus. Auxit famam patrui opinio ſocij fratris filij, cuius & ſapientia, & virtus admirationi omnibus eſse cępit. Miré arriſit Toribio Ciuitas ſitu edita, aſpectu hilaris, aere ſubtilis, aquis ſalubris, ſolo fertilis, omnium, & olerum, & fructuum genere abundans: placebant circuniecti colles oleis veſtiti, valles amænæ, ripę floridæ, quas amnis Monda morſu ambitioſo rodit, vt ramẽta colligat, & rurſum lambit, vt flores vicinos eliciat. Mirabatur in argenteo vado tarditatem plumbeam, & ſubtus vitreas aquas pallorem arenarum. Obſeruabat in flumine genium litterarium: quòd ſtudiorum initio cum ſcholæ aperiuntur, eòque ſcholaſtici confluunt, & dum tempus ſtudendi eſt, augeſcit, & inſoleſcit, vt vix ferri poſſit: cùm vacationes incipiunt, & toto quo durant tempore, decreſcit, & minuitur, vt vix fluere ſentiatur, quaſi amore ſcholaſticorum intumeſcat, ac rurſum areſcat eorum deſiderio. Nec minus placebant Ciuitati mores Toribij. Conſiderabat in adoleſcente modeſtiam, continentiam, pietatem, ſuauitatem, diligentiam: teri ab eo templorum pauimenta, calere ab aſſiduo contactu Altaria, occaleſcere

continuis orationibus genua, perſonare flagellorũ ſtrepitu cubicula, aſperari latera ſetis, extenuari ieiunio membra,& rurſum ſcholas ab eo frequentari, libros euolui, argumenta vibrari, lectiones reddi, poſitiones ſuſtineri, bibliothecas exhauriri. Ita & Toribius Ciuitati,& ciuitas Toribio ex mutuo alterutrius aſpectu oblectamento, & admirationi erat. Conimbrica certè & vidiſſe, & recepiſſe Toribium in parte felicitatis ponit: quique in ea nati ſumus, eo beati erimus, quòd vbi ille veſtigia ſuæ virtutis impreſſit, cunabula nacti fuimus. Verum non diù licuit Conimbricæ eo bono frui. Nam poſt decennij fermè ſpatium, cum Salamanticæ Cathedra iuris ciuilis, & Canonicatus Doctoralis vacaſſet, ijs inuitatus Ioannes Toribius Conimbricam reliquit,& Salamanticam redijt, ſecumque duxit Toribium noſtrum ſui animi dimidium. Neque repugnare voluit Conimbrica, quæ vti comis, & vrbana Ciuitas, rationes Toribiorum antepoſuit ſuis, eoſq; haud grauatè dimiſit, quos Patria ad ampliores honores,& pinguiores redditus reuocabat. Retinuit tamen, retinebitque vtriuſque memoriam, quam ego illius alumnus pro meo virili non patiar obliterari.

C A-

CAPVT VI.

Redit Salamanticam, amittit patruum, in Collegium S. Saluatoris recipitur.

CIrcumacto feré ab repetita Salmantica anno Ioannes patruus mortem obijt, ideſt anno MDLXVI. Magnum ex ea Toribius cępit dolorem: nam patruo amiſſo, & diſciplina vtilis, & conſuetudo iucunda, & patrocinium certum in medio ſtudiorum curſu ad metas properantem deſtituebant. Sed erant iſta ferenda, quæ ſunt conditionis humanæ, & ille diuinis meditationibus deditus nouas conſolationes eo in malo excogitabat. Funus ei magnificum fieri curauit vrgenti inprimis Eccleſia, cuius rexerat Cathedram. Ibi ſepultura eminens cum effigie, crate ferrea, & epitaphio poſita, prope aram maximam, argumentum exiſtimationis, quam formula, quæ eſt eiuſmodi, epitaphij teſtatur.

Ioanni Mogrouegio Conimbricenſi emerito primario, Salmanticenſi, Canonico Doctorali vtriuſq; iuris Collegij S. Saluatoris Collegæ optimo, ob raram & incomparabilem iuris prudentiam, & amabiles in omni vita mores extremæ voluntatis executores P C C. Obijt XIII. Kal. April. Anno à Chriſto na o MDLXVI.

In collegio S. Saluatoris inſigne tanti viri monumentum eſt, codex manu ſcriptus quæſtionum v-

triuſque iuris cum ſuis notis marginalibus authore Ioanne,qui eum prȩlo deſtinauerat: opus iuſtȩ magnitudinis, quem manus Toribij, à quo eſt maximam partem ſcriptus,pretioſum reddit. Illum apud Collegas reliquit Toribius, ad quem tota Bibliotheca patrui pertinebat. Hanc ille tamen paulò poſt vẽdidit, vt ſororibus ſuis pretio conſuleret: idque ijs totum reddidit ſtudendi munere ſibi aſſumpto. In quo tantum profecit, vt anno 1571. cũm annum ageret trigeſimum tertium, trabeam, quam vocant Becam,in eodem Collegio Sancti Seruatoris obtinuerit. Magna eſt in Academijs Hiſpaniæ harum Beccarum exiſtimatio,ad eaſque cum vacant, magnus fit nobilium ſcholaſticorum concurſus: nec dantur niſi communibus collegarum ſuffragijs,vt qui vincat numero, ille obtineat. Illo nomine ſignificatur locus dignitatis. Eſt autem Beca inſigne quoddam abollæ ſcholaſticæ, quæ trabeȩ in morem ab humero deducta in latera reijcitur, & pendula circumfertur, ac prope imam oram circulum eiuſdem panni aſſutum habet, quo diſtinguitur, & inſignitur. Perinde eſt Becam petere, ac in Collegium cooptari. Summa eius rei exiſtimatio ac expectatio eſſe ſolet, quæ non niſi benȩ de litteris meritis & alijs præſtantis nobilitatis viris concedãtur, ac celebrantur eo nomine maxime quibus obtingunt. Tres eo anno vacaſſe conſtat,quas ſummi viri ambierunt. Eminebant inter competitores tres: Toribius Mogro-

uegius, Ioannes Pineda, Franciſcus Contrerius. Res ſic tranſlata eſt, vt prima Toribio, altera Ioanni, tertia Franciſco decreta fuerit: Magna certé Toribij gloria, quòd primas in eo tantorum hominum concurſu tulerit. Nam (vt omittam Ioannem, qui anno ab obtēta Beca quinto Societ. Ieſu nomē feliciter dedit) Franciſcus Contrerius claritate, & copia munerum inſignis in Hiſpania vir extitit: primùm Nauarræ Conſiliarius, deinde prætor Granatę, paulò poſt Ordinum Senator, & Eques Sancti Iacobi inſtitutus, tum à ſupremo Conſilio, quod Caſtillię dicitur. Demum à Philippo IV. Rege eiuſdem (quæ ſumma dignitas eſt) Præſes Conſilij creatus; quo veluti culmine adepto, cum nihil humanæ honeſtatis ſupereſſet, nuncium remiſit muneribus, & ſeſe ad Sancti Hieronymi Regij cęnobij ſeceſsum pium, ac prope religioſum tranſtulit, vbi propé nonagenarius deceſſit Anno 1630. Extat hodie in eo Collegio profeſſionis, quam emiſit Toribius, propria exarata manu ſolemnis formula, quam operæ pretium duco hìc adſcribere.

Ego licentiatus Toribius Alfonſus à Mogrouegio ex oppido Maiorga Legionenſis Diœceſis collegialis, celeberrimi, & admodum inſignis collegij Sanctiſſimi Seruatoris electus, die tertia annò Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, per integerrimum & per magnificum Dominum Dominum licentiatum Didacum à Monreal Rectorem, ac cæteros collegiales iuro per Sancta Dei Euangelia corporaliter per

me

me tacta, quod deinceps Rectori & Domino meo parebo, & eidem in omnibus reuerentiam exhibebo, & obedientiam, priuilegia, libertates, exemptiones, commoditates, emolumenta dicti admodum inſignis Collegij procurabo, & pro viribus ſuſtinebo, & mandata pro vtilitate Collegij per Dominum Rectorem mihi iniuncta fideliter adimplebo, conſtitutiones editas per Dominum meum huius Collegij Fundatorem bonæ memoriæ fideliter adimplebo: nec mihi relaxationem aliquam iuramenti procurabo. In cuius rei memoriam & teſtimonium cum teſtibus infraſcriptis iuxta formam dictarum conſtitutionum me ſubſcripſi. Licentiatus Toribius Alfonſus à Mogrouegio.

CAPVT VII.

In collegio viuit Religiosè, ſuſcipit peregrinationem ad Sanctum Iacobum.

INgreſſus Collegium monaſterium ſibi fore propoſuit, in quo profiteretur inſtitutum perfectionis. Statuta attentiſſimé legit, ne quid eorum non diligenter obſeruaret; altius in litteras intrauit, inuigilabat, imò & indormitabat libris, ſeueram vitæ rationem inijt. Somni breues, & interciſi, cibus, & potus vulgaris; veſtitus interior aſperatus cilicio, exterior ſolemnis Collegij: dormire, non ſtertere: cibo ſe reficere, non obruere: potu ſitim pellere, non guſtum irritare: ieiunare

crebrò:abſtinere cupedijs:amara intermiſcere dulcibus: gulam cruciare: meditationibus operam nauare:ſacris intereſſe: penſa horaria cum fide reddere:piaculares Roſarij globulos pié percurrere, animum ſæpé excutere, culpas meditando colligere, ac lacrymis tergere: conſcientiam luſtrare,& confeſſario aperire, ſacram ſynaxim frequentare, conciones audire: animi motus obſeruare, & comprimere: oculos fręnare: concupiſcentiæ,quos tamen raró ſentiebat,igniculos extinguere:in ſpeculis eſſe: ſibi inuigilare, ac imperare: ſanctos libros verſare: ex ijs ſententias colligere, & exempla depromere ad imitandum. Præcipua ei virtus maceratio corporis,quod duriùs quàm par erat, accipere ſolitus, admirationem ſocijs afferebat: qui eum ob id corripiendum eſſe exiſtimarunt:ſed cùm minus auderent propter reuerentiam viri,& vrgeret neceſſitas quoniam è flagellorum quotidiana vſque ad ſanguinem excruciatione debilitari cœperat,adierunt ad amiciſſimum illius Collegam Franciſcum Contrerium; ac rogarunt vt corrigeret, & obuiam iret nimiæ in ſe carnificinæ; ſic appellarunt. Ille, qui iam id animaduerterat, ac moderari voluerat, ſed nolebat nomine priuato id officij obire, rem ſuſcepit communi nomine, ſuaſitque Toribio moderari ſibi deinceps: iam deprehenſum eſſe à ſocijs, dicens:rem eſſe plenam oſtentationis,atque adeò vanæ gloriæ eſſe obnoxiam. Eò deterruit hominem demiſſionis ſtudioſiſſimum: itaque ab inſtituto de-

ſtitit,

ſtitit,ſeque in poſterum mitiùs habuit: nil tamen de cęteris remiſit. Hic vitæ tenor magnam ei apud Collegas conciliauit opinionem virtutis: cuius poſtea multi egregium teſtimonium dederunt. Ipſe in primis Contrerius, qui eo familiariùs vtebatur, ac Licentiatus Gregorius Arce Hiſpalenſis Collegij S.Saluatoris vir grauiſſimus,& multis honeſtatibus inſignis;qui ſæpè in circulis de eo commemorabat, productis multis, & miris Toribij virtutum exemplis, quorum oculatus,& idoneus teſtis fuiſſet. Nec domi ſolùm, ſed foris eius pietas claruit. Celebris eſt in Hiſpania ad Sancti Iacobi peregrinatio,cuius corpus Compoſtellæ (Iria Flauia olim fuit) in Prouincia Callecia magna religione colitur, cuius viſendi gratia ex vniuerſa Europa multi nobiles domo exeunt, eòq; confluunt, vt ille locus ſecundùm Hieroſolymam, & Romam à Chriſtianis populis frequentetur. Ardebat ſtudio ſacram illam peregrinationem ſuſcipiendi Toribius, ſocium deſiderabat,qui cum religioſiùs,ac ſecuriùs iret. Oblatus eſt ei (ita ferunt) Contrerius, idoneus comes, qui vel imitaretur macerationes corporis, vel ſaltem permitteret. Animum ergo induxit nudis pedibus longum illud iter conficere, & victum more pauperis oſtiatim mendicare: ſic tamen, vt apud ſocium iuſta nummorum copia eſſet, ne grauis, ac moleſtus fidelibus foret: & ne paupertas expreſſa neceſſitate, ſed voluntate ſuſcepta videretur. Itaque ſumpto,vti mos eſt, peregrinantis habitu, iter

iniere. Accidit, vt ſemel ingredientibus in quandam ædem occurreret ſerua Æthiopiſſa, quæ conijciens ex habitu pauperes eſſe, aſſem é crumena extraxit, & in ſtipem obtulit. Toribius, qui conditionem ſeruæ nouit, illius miſertus, habitis gratijs, reſpondit, ſeruaret ſibi aſſem, quo ipſe non indigeret, quippe pauperem non eſſe, ſed ſpecie exhibere: Verùm illa erubeſcens, ac exiſtimans eos eleemoſynam, quòd eſſet tenuis, refutare, excuſauit paupertatem, adijciens: ſe pro ſua tenuitate aſſem donare; irent porrò in Eccleſiam, reperturos ibi dominam ſuam Comitem magnificam, quæ multò largiùs pro ſua nobilitate, & pietate donaret. Quod illi certé grato animo acceperunt; non ideò tamen quicquam ab illa Comite poſtularunt. Tum alté huiuſce mulierculæ pietas in animum Toribij deſcendit, vt eius ſemper memoriam conſeruarit, faſſus cùm primùm Sacerdos priuatus fecit, & cùm primùm Pontifex ſolemniter celebrauit, pro illius ſeruæ ſalute Deo ſupplicaſſe, partemque ei Sacrificij impendiſſe.

CAPVT VIII.

Redit ad Collegium, creatur Inquiſitor Granatenſis.

REdditus litterariæ quieti ſua ſcholaſtica munera obire perrexit. Iampridem eius virtutis fama foras emanarat, & ad Regiam magno cum

plauſu peruenerat. Ille inſcius famæ, conſcius virtutis vni ei ſtudere, honores non curare, ambitionē odiſſe, Regiæ rumores negligere, caduca contemnere, æterna intueri. Auxit hic rerum humanarum contemptus exiſtimationem, & mouit expectationem viri. Æquum erat, vt honores fugientem quærerent, & qua ille ratione ſeſe occultabat, ea illum honeſtates proderent. Nocte iam adulta foribus obducto peſſulo oppilatis aduenit homo noctuabundus, qui & clamore vocis, & pulſu manuum fatigabat fores. Oſtiario mirum id viſum propter inſolentiam; morari, tergiuerſari, cunctari, nolle aperire, quòd crederet ſcholarium eum eſſe luſum (ſic in Academia ſunt comparati) nec id nouum eo in Collegio eſſe, quò etiam illæ artes penetraſſent. Verùm cùm crebrò, & ingenti pulſu portæ quaterentur aliud ſuſpicatus occurrit, & per oſtiolum rogauit, quid rei eſſet? cui cùm reſpondiſſent qui venerant, afferre ſe faſciculum quendam litterarum Madritto miſſarum, directum Toribio Alphonſo Mogrouegio, Oſtiarius ſemiclauſo oſtio illum accepit, & reddidit Toribio: à quo cùm eſſet coram alijs, qui ad eundem rei nouitate exciti concurrerant, apertus, expoſuit Regium Diploma, in quo idem Quęſitor Sancti Officij Granatam deſignabatur. Eo maiori plauſu excepta res, quò minùs cogitata, & ſperata fuerat. Gratulatum ei à collegis maiora iam tum diuinantibus. Iret porrò, inciperet doctrinæ, & virtutis ſuæ foris ſpecimen

prę-

prębere,ac in eo,quod grauiſſimum eſſet,Tribunali integritatem, & æquitatem ſuam oſtenderet: id Collegio Sancti Saluatoris ornamento futurum. Dolere ſe de deceſſu, ſed communis boni ſtudium priuatæ vtilitatis pręferri oportere. Breui ſe, nec enim erant impedimenta, quæ retinerent hominem à caducis abſtractum, expediuit: rebuſque domeſticis compoſitis Granatam contendit. Annus is erat MDLXXV. Suſcepit illam prouinciam animo æquo,ac integro, inter iuſtitiam, & miſericordiam temperato. Delationes, quæ in eo iudicio multæ fieri ſolent, attentè excipere, lenté examinare,nil temeré credere, nec tamen facilé dicta reijcere: ſtudium Religionis, ac honoris Diuini ſtimulabat animum ad correctionem delinquentiũ, & ad punitionem delictorum: quæ conſtabant, ob ea ſeueré in ſceleratos animaduertebat, non tam puniendi cauſa,quám cauendi, puniendo ne ſerperent: quæ minùs patebant ea premebat, & ſuſtinebat donec apparerent, oſor criminum, non hominum. Nec ex priuatis vniuerſum æſtimabat genus, quód ſciret,vt quidam ſunt praui, ita & multos bonos inueniri: homines nos eſſe, non natura (qui error Manichęorum erat) malos, ſed voluntate; huic tribuenda vitia, non ſanguini: ſuſpicionem hunc facere poſſe,non probationem. Compertos ſcelerum ita tractabat, vt pro deſperatis non haberet. Corrigebat,non abijciebat; admonebat, non negligebat;erudire,docere, emendare, ad viam veritatis

reducere,leniter prius,ac pié,deinde ſi minus pietas procederet,ſeueritatem adhibere; ſed quæ non haberet ſpeciem crudelitatis,ſed iuſtitiæ;non qua indurarentur animi ad obſtinationem, ſed pertraherentur ad correctionem.Reos ſuorum conſcios ſcelerum,eaque damnantes, & in melius redactos humaniter habebat, & in propoſito bene deinceps viuendi confirmabat. Duros & obſtinatos pœnæ addicebat,ſic tamen puniebat,vt non tam præterita delicta reſpicere, quàm futura ſi pœnam euaderent videretur. Propoſuerat nimirum ſibi emendare præterita, & prçcauere futura, ac in eadem pæna & ſupplicium pro admiſſis, & remedium pro admittendis conſtituebat. Hac ratione effecit,vt nemo in eo quicquam vel ad integritatem, vel ad æquitatem, vel ad clementiam deſideraret. Ipſe purus ſcelerum,incorruptus moribus, integer vitæ leges alias animabat,ac nullius iudicis cenſuram metuebat. Ac fuit, vt cum ſuperioribus viſum eſſet illud tribunal propter grauiſſimas cauſas luſtrari,& examinari oportere,ac nonnullis munere ſuo priuati, & loco moti eſſent, Toribius omnis expers & culpæ, & ſuſpicionis non modò reprehenſionem effugerit,ſed etiam laudem meruerit,& locum ſuum retinuerit. Tam ille numeros optimi quæſitoris impleuit, vt maioribus dignus honeſtatibus appareret.

C A-

CAPVT IX.

Eligitur Archiepiſcopus Limenſis, eius conſecratio, nauigatio, Appulſus.

VAcabat ea tempeſtate Eccleſia Limenſis in America. Magna erat concurſatio candidatorum, quòd ea & amplitudine dignitatis, & abundantia reddituum prçſtabat. Alieniſſimus ab ea cogitatione Granatæ degebat Toribius, cùm illius in mentem venit Philippo II. Hiſpaniarum Regi optimo, cuius eximia cùm fuerit in adminiſtrando Regno prudentia, ſumma fuit in eligendis Epiſcopis prouidentia. Habebat hoc Philippus, vt qui ſacris honoribus viderentur digni, eos ſibi nominari iuberet, & in album referri: vnde poſtea, cùm vacabant Eccleſiæ, eos eliceret, ac euocaret. Itaque monitus de illa vacatione, Toribium ſibi ex eo numero delegit, & ad id Diploma in concilio Indiarum confici imperauit, quod à ſummo Romano Pontifice confirmatum. Miſit illud ad Quçſitorem Toribium cum mandatis. Inopinatus nuncius turbauit hominem litterario otio
deditū. Repulſam nouo miraculo virtutis, tulit honor à Toribio. Noluit acquieſcere: ſcripſit Concilio ſe ineptum ad id munus eſſe, quem merita deſtituiſſent: excuſauit profeſſionem, inſolentiam expoſuit muneris, Clericum ſe non eſſe, ætate minus matu-

rum, virtute, & prudentia quàm pro dignitate minori: Vno verbo, ineptum. Nihil tamen apud Regem profecit, imò & quò magis repugnabat, eò minus illi res procedebat. Æſtimauit Rex prudentiſſimus ex ea modeſtia, & demiſſione virtutem electi: iuſſit ne oblata refutaret; ſed quod non facile ceſſit, præcepit vt intra trimeſtris ſpatium deliberaret. Perſpecta Regis voluntate religio parendi inceſſit animo: & conſultis amicis, conſanguineis, alijsque viris Religioſis expectauit, dum ſententiam quiſque ſuam aperiret. Omnes cenſuerunt parendum, & inuitum ea ratione permouerunt. Illud munus onus eſſe, non honorem, exeundum patria, domo excedendum eſſe. Eam prouinciam ſalutem animarum, & Fidei Catholicæ propagationem continere. Itaque multa pati, & plurima præſtare oportere eum, qui curam illam animarum ſuſcepturus eſſet, illũ eſſe Epiſcopatum, de quo Sanctus Paulus dixiſſet: *Qui epiſcopatum deſiderat Bonum opus deſiderat*. His rationibus perſuaſus, acceptauit tandem Epiſcopatum, ac dum Roma Bullæ Pontificiæ afferebantur ſeſe collegit, ac contemplationi rerum diuinarum addixit, ac poſt iuſtum hiſce ſpiritualibus exercitationibus tempus impenſum Madritum ad Regiam venit gratias acturus Regi, ac miniſtris Concilij Indiarum. Deinde Maioricam contendit, vt Matrem Domnam Annam Querceſiam, & fratres, conſanguineos, affineſque inuiſeret, eoſque ſalutaret, extremùm vi-

ſurus. Erat illi ſoror Domna Grimaneſa Mogrouegia ſociata in matrimonium Illuſtriſſimo Viro Domino Frãciſco Quignonezio ſingularis virtutis, & excelſæ indolis fœmina, & viro ſuo eximijs ornato virtutibus ſimilis. Hanc ei ſe ſponte in ſociam cum coniuge offerẽtem ducere ſecum ſtatuit, prævidens magno poſtea ad pia, quæ præſtaturus erat, opera futuram vſui. Cæterum quod initiari ſacris oportebat, Archiepiſcopo Granatenſi, qui collaturus erat ordines, placuit, vt quatuor eos continentibus diebus ſuſciperet. Sed reſtitit vir religioſus, noluitq; niſi quatuor Dominicis ſubinde ſequentibus ordinari. Sacerdos Granatæ initiatus Hiſpalim contendit, vt ibi Archiepiſcopus conſecraretur. Eo gradu ſolemni ritu ſumma omniũ gratulatione obtento de profectione cœpit cogitare: & quoniam nemo ante ipſum ex Hiſpania ad eam Eccleſiam regendam profectus fuerat, cùm omnes alij extra Hiſpaniam apud Indos verſarentur, ac ibi fuerint conſecrati, viſum eſt æquum Regijs miniſtris, nouis eum, & inſignibus ad rei memoriam priuilegijs, indultiſque ornare. Poteſtas ei facta deferendi ſecũ domeſticos, & famulos numero viginti duos, & ſeruos ſex immunes tributi ſolemnis. Quaterna aureorum millia numerata pecuniæ, bina millia partim rerum pretioſarum, partim vaſorum abaci ex argento in ſupellectilem donata. Permiſſum ſuam ſecum, quæ erat ampla, Bibliothecam deferre. Iuſſum, vt in præ-

to-

toria ſi vellet,ſi ſecus,in alia quam mallet naui loco opportuniſſimo veheretur,nullo impoſito vectigali. Diploma eidem traditum,quo præſcribebatur, vt appulſo Palatium Archiepiſcopale in domicilium pararetur. Illa prærogatiua conceſſa, quæ nulli præter ipſum contigiſſe fertur, vt Peruanus Prorex nomine Regio prædia,fundos, & lares Toribij famulis, ac ſocijs domeſticis aſſignaret. Nec minus illud priuilegium fuit,concedere,vt dimidia parte redituum Archiepiſcopalium poſt mortem anteceſſoris vacantium frueretur. Quorum ingens ſumma erat,cùm multo antea D.F.Hieronymus à Loayſa mortuus eſſet,qui integris fruebatur, nec enim quicquam ex ijs delibauit ſucceſſor illius D. Didacus Gomez Madrizius medius inter Loayſam,& Mogrouegium: quoniam ei quod ex Hiſpania eò nō coierat ius illud non fuerat conceſſum: itaque ea pars intacta ex integro eſt relicta Toribio. His auctus beneficijs ſoluit é portu Sancti Lucaris anno MDLXXX. In ea claſſe, cuius erat præfectus Marcus Arumburius, tēpeſtatibus vſus ſecundis,Nomē Dei,nobile tunc emporium,quod poſtea ad Portumbellum translatum fuit, ſuis omnibus & ſocijs,& rebus ſaluis appulit.

CAPVT X.

Panamam primum, deinde Panama Limam contendit: ea Regio, ciuitaſque deſcribitur.

INgreſſus Americam maiora ſubijt pericula, quàm quæ à tergo in mari reliquerat. Vicina erat,quà eundum,Panama, quod præcipuum eſt illius regionis emporium. Terra iter conficitur haud prolixum, nec enim niſi leucas viginti à Nomine Dei oppido diſtat, ſed importunum, & ſaltuoſum,& lacunoſum,multis in locis præciſum, & obiectis vadis periculoſum,quę abundant crocodilis (Caymanos Gens vocat) voraciſſimis, qui ſi quempiam aut vado tranſeuntem, aut propter vada euntem ſentiant in eum inſilientes apprehendunt,& trahunt,tractumque dilaniant. Mulis via tutioribus, & tardioribus beſtijs peragitur: illi quem inſidebat Toribius in fluuium (Chagrium dicunt)altius ingreſſo, duo crocodili occurrerunt, quorum immanitate perterrefactus mulus, totum ſe commouit, & ſuccuſſu improuiſo Rectorem Toribium in aquam deiecit. Ad prædam oblatam conuolarunt ambo: actum de Toribio nemo non putauit. Quis enim poſſet ex illorum dentibus euadere,quorum tanta eſt in apprehendendo vis, & in trahendo ferocia, vt Boues integros rapiant, & dilacerent? Et quidem vidit ille diſcrimen,in quo

verſabatur, & ad Deum conuerſus opem poſtulauit. Subito leuari ſe ſuper aquas ſenſit, & ſubduci dentibus inſidiantium, qui tanquam attoniti hæſerunt in ſalebris,prorſus immoti, ſcopulis ſimiles, donec paulatim ad ripam non tam ſuo natatu quàm alieno, & arcano impulſu actus feliciter enatauit explicatus periculo,& rei miræ nouitate commendabilis viceſimo quarto Maij anni MDLXXXI.Limam peruenit.

Americæ ea vrbs eſt in Prouincia Peruana in duodecimo latitudinis Auſtralis gradu, longitudinis reſpectu Meridiani Toletani octogeſimo ſecundo, quæ differentia quinque & dimidiæ horarum diſcrimen importat,ac ſpectato maiori circulo mille quadringentas triginta quinque leucas diſtantiæ rectà conficiens,nàm ſi nauigationis rationem habeas,prope duo millia continet,ſita eſt.Regum primùm dicta, deinde à valle Rimac, in qua iacet, paulum deflexo vocabulo Lima nuncupata. Franciſcum Pizzarrum Marchionem illius Regionis exploratorem conditorem habuit: caput illarum vaſtiſſimarum, & ditiſſimarum prouinciarum. Ea quanquam mari non alluitur, quod Auſtrale appellant,duas tantum ab eo leucas abeſt: tuta à tempeſtatibus,commercio opportuna, facilis ad commeatum. A parte,quæ ad orientem ſpectat, & qua ſe littora ad Boream,& Auſtrum extendunt valles aperit ampliſſimas, quæ ad altos,& ſalubres montes terminantur, arboribus diuerſi generis

con-

conueſtitos, omni genere fructuum abundantibus: ſolum vber, biferum, triferumque: campi herboſi, & fertiles, & omnium patientes ſementum, & ſaturæ, & paſturæ idonei: nemora opaca, & ſyluoſa, frequentia venaticarum ferarum, aer aucupij ferax, colles mites, oliuetis, & vinetis conſiti, fontium, ſalientium, profluentium magna copia: fluuij piſcoſi, amæni, pellucidi, horti oleribus turgidi, aquis irrigui, viridaria floribus picturata. Terram Pomonæ, & Cereris certamen eſſe dixeris. Situs vrbis in planitie molli, & æquabili. Temperies aeris mira, inter frigidam, & calidam nec alget hyeme, nec ardet vere, ſed propior calori, quàm frigori. Hyems in Aprilem, & Maium noſtrum cadit, atque adeo clemens. Æſtas longior, & plurium menſium. Sol æſtiuus vbi ſe aperit calet nimium; ſed ſi quid obieceris vmbraculi, frangitur, nec vexat: noctes temperatæ, quæ patiantur opercula: non imbres aerem turbant, non nubila obſcurant, non nubes contriſtant, non grandines verberant, nõ niues aſperant, nullus turbo intercurrit, nulla tempeſtas ſæuit, ſilent fulmina, deſunt fulgura, nec aures tonitrua offendunt, nec oculos præſtringunt fulgetra. Pax eſt ſumma inter Cęlum, & ſolum. Montium cacumina in tuto ſunt, quòd nil à fulminibus timeant. Venti ſunt certi, & conſtantes. Auſtri, vnde Mare Auſtrale dicitur, ſalubres, & benigni: non excludunt tamen matutinos quoſdam, & opportunos flatus mediterraneos,

qui æſtus inſtar eunt, ac redeunt, creſcunt ac decreſcunt, nec conſiſtunt diu, cedunt quippe ingruente ab alto auſtro, qui omnino imperat mari, quo lla terra cingitur, cuius littora tundit diffuſum mille quingentas ac eò amplius leucas à freto Magellanico ad caput vſque Mendocinum. Vno tantum laborat malo, quòd intra viſcera alit, aere nimirũ ſubterraneo, qui ibi conceptus ceu parturiens exitum quærit, & dum luctatur cum fibris, & oſſibus terræ concutit ſinum, & motum ciet, quo ſæpe Regio, & vrbs quaſſatur; id efficit, vt domus humiliores ſint, careantque tectis magnificis. Tutiores potius quàm ornatiores: non ſunt contectæ tegulis, non prętextæ ſuggrundis, non ſerié imbricata prominentes, ſed apertæ ſuperiùs, & patentes: impluuiis ſimiles, quod ab alto non metuunt imbres, ſed ab imo ſuccuſsus. Turres non extant, culmina non eminent, ne in templis quidem: interius pulchra, & exterius venuſta intra altitudinem moderatam. Itaque minus oculis videntium é longinquo placet. Verùm ingredientibus ſatisfacit rerum priuata, tum publica ditiſſima, & ampliſſima, atque adeo diuitijs, opibus, mercibus, ornamentis, vaſis aureis, & argenteis, & ſuppellectili omnis generis abundans: quo ſané nulli totius orbis Ciuitati cedit, imo multis eſt præferenda. Creſcit indies magis frequentia; & opulentia; cumque ab initio fundationis ſuæ centum & ſeptemdecim annos ſolos numeret, ad eam venit magnitudinem &

ma-

magnificentiam, vt multa ſęcula videatur impleſſe.

CAPVT XI.

Limæ vrbis magiſtratus Eccleſiaſtici, Politici, Redditus Diœceſis.

EA Regio Peruana, in qua ſita eſt Lima, multis prouincijs conſtat. Omnibus vnus Prorex eſt: idem Polemarchus Politiæ pręfectus Regio nomine tres vaſtos Conuentus (Cancellarias vocant) Limenſem, Quitenſem, Platenſem (ab argenti copia ita Hiſpanicé dicitur) gubernat; & interdum, ſi cauſæ graues incidant, Chilenſis, & Panamenſis illius iuriſdictioni ſubduntur. Huius eſt propria ſedes Vrbs Lima: duo is Prorex Tribunalia erecta cauſa iuris dicendi habet. Vnum ciuile, alterum militare veteri, & Romano vocabulo Legatos ijs præfectos dixeris; Vernaculo, Aſſeſſor ille ciuilis: Auditor ille militaris nuncupatur. Senatus (Cancellaria vulgò) cui pręſidet Prorex, quindecim Senatoribus conſtat. Quorum nouem Prętores, ſiue Auditores: quatuor Cognitores criminales, ſiue Alcaldes: duo Quæſitores, ſiue Fiſcales ſunt. Illud tribunal fuit ad rationes pecuniarias inſtitutum, in quo tabulæ accepti, & expenſi à Regijs Quęſtoribus, & conduntur, & examinantur, & recognoſcuntur. Huc pertinet aliud deſtinatum ad defunctorum bona inquirenda, & tuenda; necnon & illud, quod dici-

tur

tur Prouinciæ,& ſpectat ad Auditores criminales. Illud pręterea, quod Septi appellant ab vno pręto-re,ſeu correctore adminiſtratum, cui forum ad ius dicendum aſſignatum: huic addendum alterum cognitorum ſuggeſtum, vnde ordinarium Togæ ius dicitur. Præcipuum illud eſt vrbanum duodecim Ædilium,& Curatorum Vrbis,Regidores nominantur,quorum eſt ciuitatem tueri,& Reipublicæ conſulere. Superat omnia illud, quod Regias gazas adminiſtrat,& Regis Gazophylacium (Caxa Real Hiſpanicè dicitur) curat;in quo ſingulis annis ſumma ſex millionum conficitur, ac expeditur. Huius veluti appendix eſt Conſulatus nauigationi, & commutationi mercium, atque adeò commercio prępoſitus. Hactenus de politico Vrbis regimine. Quòd attinet Eccleſiaſticum. Ea ſedes Archiepiſcopalis eſt. Inquiſitorium in eadem Tribunal conſiſtit iuſtum, graue, nihilo aut Valliſoletano,aut Granatenſi apud Hiſpanos inferius. Huic proximum Sanctæ Cruciatæ, cui pręeſt Commiſſarius, plures & nobiles miniſtros habet. Ornatur Academia inſigni Regia,cui nomen eſt à S.Marco. Conſtat cathedris viginti, in quibus maiores facultates traduntur, pręter ſcholas minores, quæ ſunt apud Patres Societatis. A Rectore illa adminiſtratur, penes quem eſt & cura, & diſtributio ſtipendiorum,quæ pręceptoribus ab Rege ſunt conſtituta. Tria ſunt Collegia ſcholaſticorum annexa Academiæ. Regium Sancti Philippi: Regium item

S.Martini: Tertium, ſeminarium potius dicendum, Sancti Toribij. Abundat cœnobijs Religioſorum Ordinum, è quibus Dominicani duo, duo Franciſcani, duo Auguſtiniani, duo Societas Ieſu habet: Vnum Mercedarij, vnum Fratres Ioannis Dei: ſingula Franciſcani Reformati, Auguſtiniani, & Mercedarij excalceati, Hoſpitium Benedictini. Monialium tria ſunt monaſteria, & quidem magnifica, & ſplendida, quæ à ſui Ordinis Regularibus, vti par eſt, & reguntur, & adminiſtrantur. Præterea Parthenicum Virguncularum Collegium, & duo alia gynæcea clauſa reperiuntur. Noſocomia pauperum ſiue virorum, ſiue fæminarum magno vſui ad valetudinem tuendam ſunt. Aſceteriorum, eremitoriorū, oratoriorum ingens numerus. In quibus Pia ſodalitia ad omne genus pietatis informanda inueniuntur. Ciuitas in ſeptem Parochias frequentiſſimas diuiditur: addita vna vicaria, ſiue auxiliari ad ſupplementum. Quod attinet Archiepiſcopum: in ſua Cathedrali Metropolitana eius Prouincię, quę Sancti Ioannis Euangeliſtę dicitur, habet nobile capitulum, compoſitum ex dignitatibus quinque, Canonicis decem, & alijs Subcanonicis duodecim. Extra hos Canonicos: quatuor Parochos, ſex capellanos choro addictos, Acolythos totidem, aliosq; ſacrorum adminiſtros habet, qui diuinorum penſa officiorum ritè, ac ſplendidè obeunt. Iam vero ad cauſas eccleſiaſticas iudicandas iuſtum & idoneum tribunal exiſtit, in

quo Prouiſor, vicarius Generalis, Examinatores, Viſitatores, Fiſcales, Collector, & reliqui adminiſtri iuris numerantur. Diocefis olim vaſtiſſima. Tendebatur quippe à finibus Epiſcopatus Quiti ſitis ad Auſtrum Conuentus Piuræ, quæ Prouincia poſteà Epiſcopatui Truxillienſi annexa fuit, vſque ad Guamanguæ terminos, & partem ditionis Arequipæ. A lateribus Orientali, & Occidentali claudebatur Mari dicto Auſtrali, & montibus altiſſimis *Andes* appellatis, longitudo trecentarum leucarum erat, latitudo fere centum. Verum procedente die cum experimento appareret difficile admodum eſſe luſtrare Diœceſim, in tres illa eſt Epiſcopatus diſtributa: qui eiuſmodi ſunt. Ad Septentrionem Truxillenſis octoginta Leucas à Lima. Ad Meridiem Arequipenſis leucas à Lima centum & viginti. Ad Orientem Guamanguenſis leucas Lima centum quinquaginta. Ius Metropolitanæ excurrens per littora maris Auſtralis à Panama ad fines vltimas Chilæ perueniebat. Per tractum mediterraneum fundebatur ad terminos vſque Auſtrales epiſcopatus Popeianicus, qua ingens amnis à Plata, vulgò, *Argentarius* latine in oceanum ſe Atlanticum exonerat. A qua Diœceſi præciſa eſt ea pars, quę conſtituit Epiſcopatus Carchenſis ditionem cum territorijs Epiſcoporum quinque. Itaque creſcente numero Eccleſiarum, & Chriſtianorum neceſſe fuit tantum corpus in plura membra diuidere. Manſit Diœceſis Limen-

ſis arctior quidem, ſed expeditior. Continebat terras à fluuio, quem dicunt *Sancta* propè limites Truxilli vſq; ad conuentus Icę, & Yahuyorum, & Xauxæ conterminos territorio Arequipæ fuſa per Lucanas, Cocorbos, & Sangaros iuxta Guamangam, longa centum viginti leucas à flumine ſanctæ ad vallem Naſcam, quà maior eſt per oram maritimam circuitus: in eo tractu Hiſpanorum duæ ſunt ciuitates Lima, & legio guanuci. Oppida Ica, Piſcus, Cagnetium, Arnedium, vulgò Chancayum Carrionum, Velaſci, Gaura dictum, & Sancta Indorum. Eo in ſpatio conuentus decem: Septum prope Limā: Iahuyū, Xauxa, Guarocheriū, Cāta, Taranca, Chinchacocha, Gamaliriū, Conchuccium, Guaylaricum, Caxatambum. Ad inſtitutionem Indorum erectæ ſunt quædam ſcholæ, quæ Doctrinæ appellantur: à docendis rudibus Chriſtianæ fidei rudimenta, quibus tum Curiones presbyteri, tum Religioſorum ordinum Magiſtri præſunt. Illi centum duo decim, hi ſexaginta ſeptem ſcholas gubernant.

CAPVT XII.

Status Eccleſię Limenſis cum eius curam ſuſcepit Toribius. Ingreſſus in vrbem. Initium Epiſcopatus.

IN tam vaſta, qualis erat illa prima, quam deſcripſimus, Dięceſi, nondum abruptis partibus integra, magna, & inculta Sylua & rerum, & mo-

rum erat. Vacatio poſt obitum nouiſſimi Archiepiſcopi D. Fratris Hieronymi Loayſæ prope ſexennij fuerat:magno animarum detrimento:quę ſine Paſtore in tam diſſitis, remotiſque regionibus palabant: nec eo viuo ſatis prouideri potuit damnis, quòd eæ Prouinciæ bellis ciuilibus diu arſerant, & formam Reipublicę minimé receperant, donec in eas ingreſſus Prorex D. Franciſcus Toletanus pacare cępit, & ad rationem, ac inſtitutum rectæ adminiſtrationis paulatim redegit: quem iure poſſis legislatorem illius gentis appellare. Hic fręnauit rebelles,compreſſit inquietos,compeſcuit inſolentes, continuit auaros,impudentes excluſit, petulantes eiecit. Verùm Archiepiſcopi difficilior prouincia fuit, quòd armis nō poterat ſalutem animarum conſtituęre. Natura mitis expectabat dum bella ceſſarent,quæ per annos multos ſui Epiſcopatus ſæuierant. Triginta duorum annorum ſpatio rexit Eccleſiam turbulento maximé tempore,quo à viſitatione Prouinciæ fuerat excluſus, ac externis bellis domeſtica mala acceſſerant ex militari orta licentia,quæ eum iam ſenē tam grauiter afflixerant, vt de repetenda Hiſpania cogitaret: quam mentem poſtea ſecuta pace abiecit. Verùm ſuperuenientibus cum ſenectute morbis non ei licuit domo pedem efferre,nec Diæceſim,vti par erat, luſtrare. Itaque mortem obijt Prouincijs ſylueſcentibus, vtpote quibus cultura, & beneficium Paſtoris defuerat. Huic malo prouidentia Diuina

prę-

præſens parabat remedium in Toribio Alphonſo, quem Loayſæ ſucceſſorem deſtinauit. Annum agebat is quadrageſimum tertium,ætate idonea ad regendum,firma valetudine ad laborandum, integris ſenſibus ad vigilandum. Magna erat hominis fama,ac ex ea ſumma expectatio. Ingreſsus eſt Limam die Maij 24.(alij Aprilis malunt) Anni 1581. Exceptus incredibili frequentia,& plauſu:ſpecie ſimili triumpho;exijt obuiam nobilitas, & Eccleſia, mira cum reuerentia,& affectu. Vndabant populo viæ. Hæ aulæis, & belluatis tapetibus conueſtitæ, conſtratæ herbis odoriferis, & floribus: nec ſuffitibus parſum: Altaria locis idoneis erecta excitant pietatem. Feneſtræ plenæ matronis, ac pueris, puellisque, quas non decebat inceſſus per plateas. Ex ea proiecti ſpectatores oculos aſpectu tranſeuntis paſcebant, niſi quòd multis manantes præ gaudio lacrymæ viſum adimebant. Pluebat ex alto floribus, aquis odoriferis, imbre feſtiuo, quem voces fauſtæ tanquam tonitrui iucundi comitabantur. Affectus in omne luſuum intra honeſtatem genus prorupit. Cantus, choreæ, ſaltus in vulgus grati. Modus deſiderabatur ob lætitiæ magnitudinem. A porta Sancti Lazari aditus fuit in vrbem. Inde deductus in forum maius: ac per viam palatio ſubiectam Proregis in Eccleſiam ventum. Obſeruatum in tãta celebritate Toribium modeſtiſſimè ſe geſſiſſe vultu inter grauitatem, & hilaritatem compoſito, nihil magis ijs gratulatio-

nibus,

nibus, & plauſibus commotum, quàm, ſi medita-tionibus domi ſuæ operam dediſſet. Elata inter-dum manu benedictionem populo impartiebat, ac interdum abſtergebat erumpentes lacrymas. Ibat pedes ſubtus vmbellam,cuius contos viri Princi-pes tenebant. Hac pompa intrauit Eccleſiam: ibiq; ante Aram Maximam ingeniculatus orauit, acDiuinis officijs ſolemni ritu,&cãtu obitis adfuit, deinde domum deductus quieuit. Ingens eum continuò ſolicitudo cepit Eccleſiæ ordinandæ. Pauci erant Canonici, quod ab eo fuit,dum eos ob-uiam habuit, animaduerſum. Quinque enim tantum exceperunt:Archidiaconus Bartholomęus Martinez poſtea Panamenſis Epiſcopus, exinde Archiepiſcopus noui regni. Ioannes Lozanus, Bartholomæus Leones Chriſtophorus Medel, Chriſtophorus à Leone Licentiati, & Cano-nici. Vacabant quidam loci. Et quidem non-dum conſtitutis idoneis reditibus iuſto nume-ro carebat Eccleſia: quique obtinebant Ca-nonicatus ægré alebantur. Sed non multò poſt à pio Rege, ac munifico Philippo abun-dè prouiſum. Suſceptis Eccleſiæ gubernaculis, quòd ſciret,quanti ſit momenti rectè incipere,præ-clara ſui muneris initia poſuit. Primum deſcribi ſibi iuſſit amplitudinem Diœceſis,ſtatum eiuſdem, numerum ſubditorum, modum redituum, Eccle-ſiarum ſupellectilem,vt putãdo rationes,ſumptus, & eleemoſynæ, quarum prima cura fuit, conſta-

rent.

rent. Nouus Paſtor, & paſcua, & greges noſſe voluit, vt omnibus prę̈ſtò eſſet. Ac vt è domo ſua bene viuendi normæ peterentur, eam ita inſtituit, ac compoſuit, vt Eccleſiæ ſimilis exiſteret. Eos Miniſtros elegit, quos ipſe præſtare poſſet Reipublicę, integros, ſedulos, diligentes, moderatos, qui de exiſtimatione ſua laborarent. His quanta eorum eſſet facultas, & fides, tantum commiſit. Et quoniam in Pręfecto domus, ad quem ſpectat redituum, & pecuniarum adminiſtratio multum eſt momenti, ad id munus delegit ſororis ſuæ virum D. Franciſcum Quignonezium, cuius ſibi perſpecta erat integritas, cuique communis amborum exiſtimatio eſſe debebat, vt quid alter præſtaret, alteri præſtandum foret. Cæterorum eam rationem habuit, vt quos pios, & bene moratos videret, illis potiſſimum grauia munera committeret, quòd ſibi perſuaſerat quibus recta erat conſciẽtia, eos omnia rectè facturos. Et quidem quos ille ex Hiſpania ſecum duxerat probè nouerat: ac nihil in ijs aut eligendis, aut præficiendis miniſterio rerum, aberrauit; quos de nouo admiſit, de ijs inquiſiuit diligenter: non tamen faſtidioſè ſcrutando ſordes, nec excutiendo quenquam, ne illis ſuſpicionem crearet, & examinando infamaret. Tantum eligebat eos, qui bene audiebant, quique modeſtiam prę̈ſeferre videbantur, & quos bonis viris probatos eſſe nouerat. Hac ratione familiæ grauis, & conſtans diſciplina extitit. Cuius fama cùm in

vul-

vulgus exiſſet, magnam ſpem omnes conceperunt, rerum publicarum adminiſtrationem domeſticæ ſimilem fore: atque adeo vtilem Eccleſiæ.

CAPVT XIII.

Ordinat Eccleſiam, diſtinguit Conuentus, res ſacras conſtituit.

PRimùm recognouit Sacrarium, & repoſitorium ſacræ ſuppellectilis, & ornamenta Templi, ſi qua deerant, ſuppleri iuſſit: ſi qua exeſa, ac detrita, refici, ac poliri. Diuinarum horarum penſa ſeueré perſolui imperauit: quæ ad inſtitutionem puerorum ſpectant, præſtari curauit. Pauperes in album coniecit, vt ſubueniret: hanc partem ſacrorum eſſe putauit. Parochias inuiſit, Curiones officij ſui admonuit, laudauit ſedulos, negligentes reprehendit. Diœceſim, quòd erat vaſtiſſima, in varios conuentus diſtributam mente primúm comprehendit, vt poſtea luſtraret oculis. Animarum cultum Curatoribus, & Prædicatoribus, Confeſſarijſque per litteras commendauit. Scholarum magiſtros exhortatus eſt ad doctrinam fidei, morumque rudibus tradendam. Affixus corpore Limenſi Eccleſiæ, animum per totam Diœceſim circumferebat. Prouidit, ne quid in locis remotioribus deeſſet ad Diuinum cultum præſtandum. Monaſterijs conſuluit. Noſocomijs attendit, vt neceſſaria

victui, veſtituique ſuppeterent. Aras multas erexit, Ædiculas ſtruxit, lampadas renouauit; & vt arderent, vbi oportebat, effecit. Conciones frequentes haberi iuſſit. Aquæ luſtralis ſalutarem vſum vbique induxit. Cæremonias Eccleſiaſticas rité fieri mandauit. Æra campana multis in locis reſtituit, eaque quòd ſonitu animos ad Diuina Officia excitant, ſuis opportunis temporibus pulſari iuſſit. Adeò ſeuerus harum rerum obſeruator erat, vt ne minima quidem negligeret. Templa vti die patere volebat, ita noctu claudi imperabat. Supplicationes ſolemnes probabat, ſed ne in tenebris fierent, prohibebat. Ad fidelium animos ad pietatem incitandos ſacris operabatur palam in omnium cōſpectu: cùmque domi haberet ſacellum, vix, aut rarò ibi faciebat: quo vetuit, ne quis priuata Oratoria petere auderet. Miſſam ſumma attentione animi celebrabat. In Diuinis Officijs frequens erat. Diebus ſolemnioribus in choro cum Canonicis ſuis horas recitabat. Sacris concionibus intereſſe, Litanias, & publicas preces fundere, ſermones ad populum habere, interdum confitentibus aurem dare: Sacramentum Ordinum iuſté petentibus conferre, & Chriſmatis præbere indigentibus. Iam verò tempore Natalis Domini totam noctem in vigilijs eſſe: ſub gallicinium miſſam celebrare: Sancti Pręſepis excitare memoriam: & ibi aſſiduè orare. Quadrageſimam ſeueré obſeruare, & obſeruari à ſuis curare. Exercitamenta intra eam multa,

&

& pia inſtituere, ac præſtare: Maioris Hebdomadæ Officia rité, ac religiosé perſoluere: eo exemplo cunctis ſtimulos ad pietatem admouere. Tanta erat eius in rebus Diuinis reuerentia, vt à nemine interpellari ſe pateretur. Semel accidit recitanti horas Canonicas, vt nunciaretur adeſſe Proregem: iamque fores pulſare; nihil turbatus reſpondit nuncio, ne ſe interpellaret; eoque tacitè monuit, vt Proregi ſignificaret, quid ageret ipſe, ideſt, vt paulùm dum abſoluebat horas, expectaret. Intellexit ex nuncio cauſam Prorex, nec dedignatus eſt opperiri. Perſoluto Officio ſurrexit ad eum excipiendum Toribius, & ſubridēs; *ne mihi*, inquit, *Excellentia Veſtra inurbanitati vertat, reuerentiam erga Deum, qui cum loquebar. En ego ab illius colloquio recens me ſiſto coram V. eſtra Excellentia, cui honorem ſecundum Deum exhibeo.* Amplexus eum Prorex hilariter: *Ne tu me iniuria afficeres, ſi vt me exciperes, Deum deſeteres, cuius ambo ſerui ſumus. Si cum Rege meo loquerere, expectandum mihi eſſet; quid ni expectarem, dum cum Deo loquebare?* Conſtat exindé Proregem magno eum in honore habuiſſe. Tantum pietate apud nobiles, ac in primis Hiſpanos, proficitur. Habitabat in palatio Archiepiſcopali propé Eccleſiam, à qua illud ſolus intergerinus paries diſtinguebat. Sed tam erat aſſiduus in Eccleſia, vt hæc domicilium, illud diuerſorium videretur. Tres, quatuorve miſſas quotidie audiebat genibus flexis, ſumma cum reuerentia, & attentione animi. Eo in loco duas, tresve horas meditationi impendere ſolitus erat. Sæpé adibat

Eccleſiam, & Altarìa viſitabat, & ad ſingula ingeniculabatur, & precabatur. Sacram ſæpè Synaxin inſtituebat, ac ſacram Euchariſtiam ad excitandam populi pietatem palam exponi imperabat: & ibi coràm bonam diei partem orando conſumebat. Omnibus ſe præbebat, & præceptorem doctrinæ, & magiſtrum morum: & quò eminebat altiùs, eò acriùs ad exemplum intuentes accendebat.

CAPVT XIV.

Priuata, ac domeſtica vita exemplis ſuos erudit, & confirmat.

EA demum vera virtus eſt, quæ in occulto, vbi nullus eſt teſtis, exercetur. Vti veré dolere dicitur, qui ſine teſte dolet; ita ille rectè, ac ſanctè viuit, qui clam, & remotus à publico, colit virtutē. Is erat Toribius, iam aſſuetus in Collegio ſilentio vitam agere, ſecum habitare, ac ſine rumore, ac ſtrepitu Diuinis rebus operam dare. Surgere multò mané, illuceſcente aurora, præuenire cubicularios ad ſpeciem poſitos, antelucanis meditationibus, & quidem prolixis, vti. Veſperi ſimiliter ſub pulſum campanæ pro ſalutatione Angelica recipere ſe in abditum cubiculum: ibique horas fermè duas meditationi impendere. Deinde cum Sacerdotibus domeſticis Officium ſequentis diei perſoluere. Tum cœnatum ire, quamquam cœna tantùm erat nomine, cùm ad eam panem, & aquam

adhiberet, omni obſonij genere repudiato. Itaque ieiunabat quotidie. Mox in abditum ſe cubiculum recipiebat, & Officium Defunctorum, & B. Virginis horas recitabat, & piaculares eiuſdem, Roſariũ dicunt, globulos percurrebat. Media fermè nocte quieti ſe dabat. Somnus breuis, ac interciſus, aut Pſalmorum verſibus, aut Orationibus iaculatorijs. Quod diei ſpatium ſupererat, cognitioni cauſarum, & pauperum poſtulationibus dabat. Domus aperta omnibus, clauſa nemini, iuſtitiæ, & miſericordiæ iuxtà patebat. Aures eius, eiuſmodi erant quæ id quod audiebant exſtimabantur audire: non in quas fictè, aut ſimulatè quæſtus, adulationisve cauſa inſuſurraretur. Per oculos citiùs intrabat ſpecies paupertatis, quàm opulentiæ: qui miſerior apparebat, ille oculos ad ſe trahebat. Non habitus elegantior, non forma pulchrior eum alliciebat. Animos intuebatur. Cætera miti, & manſueto ſumma erat in iure dicendo ſeueritas: nec variabat gratia, ſed conſeruabatur æquabilis. Ac ſicut facilem ſe prębebat in audiendo, ita lenitatem in diſcernendo, in ſatisfaciendo diligentiã adhibebat. Lenitate ſeueritatẽ condiebat, ſeueritate lenitatem tuebatur. Iuſtam in alios ſententiam latam, quæ acerba accidebat, multis condimentis humanitatis mitigabat. Iudices elegerat rectos, ſimiles ſui, procul ab auaritia, longè ab ambitione, quæ duo vitia corrumpunt animos: nec enim auidus pecunię cauſam, ſed lucrum ſpectat, nec ambitioſus quid ſit a-

lijs

lijs iure retribuendum, ſed quomodo ſibi ſit ad honores aſcendendum cogitat. Aurem vnam dabat accuſatori, alteram ſeruabat reo. Lances iuſtitiæ libratæ tenebat manu, æquamento recto, & in æquilibrio conſtituto, ponderabat momenta rationum, & quò harum pondus vergebat, inclinabat mentem, & manum. Nihil in iudicijs gratiæ dabat, nihil potentiæ, nihil opibus tribuebat. Solius iuris habebat rationem. Notarios, quorum magna vis eſt in vtranque partem, ſiue ad bene, ſiue ad ſecus iudicandum ſubtiliter, & faſtidioſè examinari faciebat antè, quàm eligeret. Aiebat hoc genus hominum eſſe venale, & lucelli ſtudio plerumque duci, lites alere, vt alantur, ſcripturas ſæpè ſupponere, interuertere, mutare, & Simiorum more imitari manus alienas, & fingere geſtum iuſtitiæ ad ius euertendum. Itaque parum ijs credere: ſcripturas indagare, recognoſcere, tabularia introſpicere, chartophylaces adhibere. In iudicijs minus miſereri. Iudicare ſeuerè, incorruptè: & qui mitiſſimus erat ingenio exuere ingenium in iudicijs, & naturam obducere, & obdurare. Extra ius manſuetus & humanus, erga omnes comis, & liberalis. Minimè iracundus. Reprehendere ſine aculeo, corrigere ſine infamia, damnare vitia, non perſonas. A minimis abhorrere, à cõuiuijs abſtinere, ludos auerſari, etiam publicos. Cum Taurorum, qui eſt ludus familiaris Hiſpanis, agitatio fieret in foro, in quod feneſtræ Palatij Archiepiſcopalis incumbe-

bant,

bant, eas omnes iubebat oppilari, ne cui ad conſpectum paterent. Paci, & concordiæ ſummoperé ſtudere: querelam nunquam niſi ſcripto expreſſam audire. Obtrectationibus obuiam ire. Placebat Auguſtini hac in parte ſeueritas: ſi quis coram alteri detrahere cœperat, ipſe vt auerteret intonare Pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes*: eoque ora detracturo tanquam offa ſalubri obiecta obturabat: ea vox illi ſolemnis; cum quenquam aut admittebat, aut inuiſebat *Laus Deo*. Cùm ingenio liberalis eſſet, temporis erat parciſſimus; & ne quod momentū præteriret ſedulò inuigilabat: ac dicere ſolitus erat tempus redimere apud Paulum perinde eſſe, ac bené impendere: Seruum reddi illud, cùm malé collocatur: eius nos apud Deum rationem eſſe redituros: verum illud eſſe ſimile virginitati, quod ſemel corruptum non reſarcitur: ad præteritum regreſſum non dari. Patientiſſimum fuiſſe conſtat, & incommodorum, & iniuriarum. Adulatores pati non poterat. Canes eos lingentes dicebat, quemadmodū obtrectatores latrantes appellabat: ſimulatorum, ſycophantarum, irriſorum genus vituperabat. Mouebant illum omnes huiuſmodi; & tetricum eum, & aſperum vocabāt. Bené apud bonos, malé apud malos audiebat. Id perinde eſſe ad virtutem exiſtimatur.

CAPVT XV.

Conuocat Concilium Prouinciale: eius acta, & confirmatio.

CONciliorum ſtudioſiſſimus iam inde à tempore Collegij Salmanticenſis fuit: pręcipuè Tridentini, quod ex aſſidua lectione memoriæ recitabat. Meditabatur eius decreta, & conſulta: quaſi diuinaret ad ſeſe ſpectatura. Igitur vix dum inuito Archiepiſcopatu cogitare cœpit de inſtruẽdo Prouinciali Concilio, idque vt diuino conſilio factum videretur, optãti pręſcriptum fuit à Supremo Indiarum, cùm adhuc eſſet in Hiſpania, concilio. Duo ab initio eius Eccleſiæ celebrata fuiſſe conſtabat, nomine Congregationis. Primum Anno MDLII. alterum anno MDLXVII. At illud caruit authoritate, & forma legitima. Hoc confirmatione Pontificia. Itaque primum fuit illegitimum: ſecundum acephalum. Quare neceſſe fuit legitimum congregari, & authoritate Apoſtolica confirmari. Vtrumque curauit Archiepiſcopus ſine mora fieri. Scripſit citatorias ad omnes ſuæ Prouincię Epiſcopos ſuffraganeos numero decẽ: Quitũ diſtantem leucas ducentas. Pr payanum ducentas: Cuzcum centum quinquaginta: Platam trecentas, tum enim erat ſuffraganea, nunc eſt Metropolitana. Tecumanum quingentas: hæc autem hodie eſt Suffraganea Platæ: Paraguayum, quæ item eſt

exempta, ſexcentas. S. Iacobi Chilenſis quadringentas. Imperialem quingentas. Panamam quadringentas. Hicataguam ſexcentas. Tantam earum diſtantiam vicit ſolicitudo,& cura Paſtorum: ac eorum erga Toribium reuerentia. Ipſe vt eos ſuo incitaret ad veniendum exemplo, ad luſtrandam interim ſuam vaſtiſſimam prouinciam exijt: conſtituto, vt cùm Patres propè eſſent, ipſe ſtatim reuerteretur Limam, quemadmodum euenit.

Anno igitur MDLXXXII. Prorege illarum Prouinciarum D. Martino Henriquezio (qui tempore Concilij deceſſit Martij 12. Anni ſequentis MDLXXXIII.) Limæ cõuenerũt Epiſcopi Suffraganei D.Fr. Antonius à S.Michaele Ordinis S.Franciſci. Imperialenſis D. Sebaſtianus Marthaunius. Cuſquenſis, qui Limæ mortuus eſt anno proximo à Concilio Octob.9.D.Fr. Franciſcus à Michellino ordinis Sancti Franciſci, S. Iacobi Chilenſis. D. Fr. Alphonſus à Guerra Ordinis S. Dominici. Paraguayenſis, tum Argentenſis dictus, qui nondum erat conſecratus,& Limæ quadriennium eo in ſtatu fuit. Verum quatriduo ante Concilium eum conſecrauit D. Fr. Franciſcus à Victòria eiuſdem Ordinis S.Dominici Tucumanius. D. Alphonſus Granerus Daualus Argentenſis. D.Fr.Petrus à Pegna Ordinis S.Dominici Quitenſis, qui obijt Limæ anno MDLXXXIII. Deſiderati ſunt tres Papayanus, Panamenſis, Nicaraguenſis quâ de cauſa in incerto eſt: alijs vacaſſe tum ſedes, alijs non vacaſſe,

ſed diſtantiam obſtitiſſe narrantibus. Actionibus quinque, & conſtitit,& abſolutum eſt Concilium. Prima fuit inchoatio. Auguſti quintodecimo Anni MDLXXXII. Supplicatio habita;itum ab Eccleſia S.Dominici ad Cathedralem Metropolitanam, vbi Archiepiſcopus Pontificali paratu Miſſam celebrauit. Pro roſtris dixit Epiſcopus Imperialenſis. Sic apertus locus Concilio.

Secunda eodem die Maij anni ſequentis habita, mortuo iam Prorege, eius vicem agente iudicio Prætorio, ſiue Cancellaria. In hac operatus eſt Diuina Pontificali more, & legit decreta eiuſdem Actionis Epiſcopus Tucumanenſis.

Tertia incidit in diem 22. Septembris, rem Diuinam fecit Epiſcopus Argentenſis. Dixit è ſuggeſtu Imperialis.

Quarta fuit dies 23. Octobris: in qua Imperialis Epiſcopus,& operatus,& concionatus eſt.

Quintam, & vltimam excepit dies 18. eiuſdem menſis,celebrauit, & prædicauit P. Ioſephus Acoſta Ieſuita vir celeberrimus ob ſua ſcripta.

Abſolutum demum fuit hoc Concilium, dignum quod omnium manibus teratur, in quo multa decreta,& Sanctiones è Chriſtiana Republica conſtitutæ: quarum etiamnum viget obſeruantia. Declaratum omnibus, idque communi, & irrefragabili conſtitutione é duobus antecedentibus Concilijs primum caruiſſe authoritate; atque adeo illius decreta non obligare. Secundum legi

timé congregatum fuiſſe, ac proinde eius ſtatuta ſeruanda, quæ aut non eſſent per hoc tertium abrogata, vel conſuetudine recepta idonea antiquata.

Hoc Tertium collectum, & in ordinem redactũ miſſum in Hiſpaniam ad Concilium Regium Indiarum, à quo cum eſſet recognitũ,& multum placuiſſet, Romam remiſſum,& examini ſacræ Congregationis Concilij ſubiectum. Quod cùm maximam partem eſſet approbatum, (parua enim, & leuia reſecari viſum) obtinuit idoneam confirmationem:& Cardinalis Caraffa die 26. Octobris anni MDLXXXVIII. nomine Pontificis ſcripſit ad Archiepiſcopum ſuper eo argumento litteras honorarias affirmans ei, miré placuiſſe Concilium. Decerpo illa verba ex Epiſtola: *Et niſi nobis tua in iſto paſtorali officio prudentia, & aſſiduitas ſatis perſpecta eſſet iſtum ſibi nouum gregem multa cura indigentem pluribus verbis commendaremus. Quod tamen breui facimus non quòd opus eſſe exiſtimemus, ſed vt noſtram erga recentes iſtos vera Fidei, & Religionis alumnos ſtudium, & charitatem oſtendamus.* Quod Concilium cum huiuſmodi Epiſtola præliminari Concilij Regij Indiarum iuſſu typis mandatum. Erat tum Pontifex Maximus Sixtus V. Præter hoc alia duo ſunt ab eodem Archiepiſcopo poſt hoc celebrata Concilia. De quibus omnibus ſic ille ad Papam Clementem VIII. *Duo celebraui Prouincialia Concilia. Alterum anno* 1583. *in quo multa, & vtilia facta ſunt ſtatuta, & Catechiſmus generalis condi-*

tus, p aterea Confeſſionarium, ſiue inſtitutio confitendi, & Sermonarium ſiue methodus concionandi: omnia tribus linguis Hiſpana vna, & duabus Indicis pro varietate Prouinciarum, & vſu Epiſcopatuum. Inſuper edita quadam inſtitutio, & forma Cenſurarum generalium. Iſtud verò oncilium fuit approbatum à Papa Sixto V. & recipi, ac in vſum redigi à Rege Philippo Secundo iuſſum Alterum celebraui anno 1591. cuius exemplum miſi in Hiſpaniam, vt inde omam ad S.V. mitteretur cauſa approbationis, cum litteris à me ad eandem V. Sanctitatem datis. Sed nullum adhuc de eo reſponſum accepi. Nunc autem aliud conuoco.

Quod verò attinet illud primum Archiepiſcopi, tertium Limæ, tantæ vtilitatis eſſe viſum eſt, vt Generale quodammodo ſit factum in ijs Prouincijs, atque adeò iure Nationale appelletur. Etenim de mãdato Superiorum indicta fuit eius obſeruantia Prouincijs Peruanis; nec ſolùm ad illos decem ſuffraganeos, ſed etiam ad alios ſeptem ampliſſimos Epiſcopatus illius ſtatuta tranſierunt: cuiuſmodi ſunt Pacenſis, Barrauquenſis, Guamanguenſis, Arequipenſis, Argentenſis, Conceptionis, Chilenſis: necnon ad alios quatuor poſtea ſe extendit Metropolitanum, Nouum Regnum Granatæ, & ſuos ſuffraganeos Popayani, Chartagenæ, S. Marthæ, & inſuper Nicaaguæ, quæ erat Eccleſia Limæ tunc ſuffraganea, nunc eſt Mexici. Itaque iſtud Concilium normas, & regulas Eccleſiaſticas præſcripſit Archiepiſcopatibus tribus, & Epiſcopatibus ſeptemdecim, à quibus hodie ritè obſeruatur.

CAPVT XVI.

Controuerſia orta ex inſtitutis Concilij, & diuerſa alia Synodi habita à Toribio.

INtegritatis, & conſtantię egregium Archiepiſcopus in eo Concilio ſpecimen prębuit. Cùm de reformatione ageretur, eaque à capitibus ordiēda eſſet, nota inuſta fuit auaritiæ Epiſcopo Cuzquēſi. Occaſionem dederat magna redituum copia, quæ fomes eſſe ſolet cupiditatis, & auaritiæ: quæ ſunt vitia hydropeſiæ ſimilia. Summa erat: ſexaginta mille pondo argenti perfecti, quæ efficiunt centum mille aureos. Igitur accuſatus fuit nimiæ grauitatis in exigendis redditibus, & imponendis nouis vectigalibas, quæ colligebat. Queſtus de eo eſt grauiter, & acerbé ordo Eccleſiaſticus, ac poſtulauit, vt illæ impoſitiones tollerentur. Epiſcopus ad Concilium rem cautè reiecit, quòd fautores ibi ſe habiturum ſperabat. Archiepiſcopus, qui id pręſenſerat, ſeque victum in numero ſuffragiorum videbat, rem ad Summum Pontificem deferendā eſſe cenſebat. Repugnabant ſtrenué Epiſcopi, ac in primis Tucumanus, & Argentenſis, Cuzquenſis intimi. Die quadam cùm eſſent congregati, & caſu abeſſet Archiepiſcopus, acta inſpicere, quę apud Archiepiſcopum diligenter cuſtodiebantur, voluerunt, atque ad id claues à chartophylace poſtula-

runt, qui erat Licentiatus Bartholomęus Monachus, vir grauis, & ſeuerus, à quo ijs conſtanter ſunt denegatæ. Verùm Epiſcopi violentia vſi, eas illi extorſerunt.

Interuenit mors importuna Proregis D. Martini Enriquezij die 12. Martij anni MDLXXXIII. deuoluta eſt adminiſtratio ad Senatorem (Auditorem dicunt) ſeniorem: Antonium à Carthagena, qui ratione officij aderat Concilio. Is, quòd erat familiaris Epiſcopo Cuſquenſi animos ei, & cęteris ſuarum partium fecit ad claues, quas poſt illum euentum Archiepiſcopus apud ſe habere voluerat, iterum extorquendas: eique apertam vim afferre pararunt. Verùm is iuſtitiæ cultor, & fidei obſeruator eas obſtinatè decreuit retinere, ac vim vi repellere. Ita vocatis amicis, & clientibus domum ſuam tuto prę ſidio communiuit. Spectabat res ad pręlium: nam aduerſarij pertinaciter propoſito adhęrebant; & moliri vim cœperant. Diuina prouidentia effectum, vt cùm iam propè eſſent ab oppugnanda domo, certior periculi factus eſſet Prætor vrbanus: is ipſe D. Franciſcus Quignonezius ſororis eiuſdem Toribij vir, qui collectà militia ciuitatis, eò pacificè quaſi aliud agens ſe contulit, & rem totā diſturbauit; & nouo prouidentiæ genere accidit, vt moreretur Epiſcopus ille Cuzquenſis, cauſa ſeditionum, quo cum ille deſierūt, populi reſpirarunt, & querelarum, & iudiciorum ſtrepitus ſiluerunt. Non deſtiterunt tamen alij duo Epiſcopi Tucuma-

nius,

mius, & Argentenſis Toribium perſequi, quaſi minus reuerentem Epiſcopalis Ordinis. Hoc eum nomine ad Regem Toribium per literas detulerunt grauiter de eo conqueſti, quòd earum turbarum author fuiſſet. Litteræ non exierunt in vulgus, ſed ex reſponſo apparet, & quid illę continerent, & quantum Rex fauerit cauſæ Archiepiſcopi. Harum tenor huiuſmodi eſt.

R E X:

Reuerendi in Chriſto Patres. Epiſcopi Tucumanice, & Charcenſis à noſtris conſilijs. Accepi litteras veſtras, in quibus deerat dies qua ſcripta fuerant, ac ex ijs, & ex alijs aliunde ad me & ad alios miſſis intellexi, quomodo vos in Concilio geſſeritis obſtantes ne iuſtitia fieret, excitantes turbas, & diſſenſiones per quas non licuit, & auferri iniuſta grauamina, & multa ſalubria inſtituta preſtari, magno illato damno communi Republica Eccleſiaſtica, cui per illud Concilium meo conſenſu celebratum prodeſſe volebam iuxta Concilij Tridentini decreta, vnde ſperabam magnos fructus receptum iri. Vigilabam quippe pro mei ratione officij, & prouidebam, vt Eccleſia augeretur, fideles reformarentur. fides propagaretur, Diuinus cultus ſtabiliretur, omnes ordines ad meliorem ſtatum reducerentur. Qui vti mihi finis erat propoſitus; ita & vobis erat proponendus: ac vos ſecus egiſtis data occaſione, vt populus reſciret veſtras diſſenſiones, & rixas, ac ob id vobis indignaretur, & mox contemptui haberet, quemadmodum eſtis magno veſtro malo, & meo dolore experti adeo vt tentarint veſtris vos decretis conuincere, & ligare, ne contra quàm ſtatueratis, faceretis. Vos metipſi præterea in his veſtris litteris veſtram fidem imminuitis friuolis adductis rationibus, & planè ex maleuolentia ſuſpectis, quæ eiuſmodi ſunt vt me impellant ad vos officij veſtri commonendos, ac edocendos malam cauſam, & ſuſcepiſſe & fouiſſe, vtpote qui debe-

retis authoritatem veſtri Metropolitani illæſam ſeruare, quam omnino imminuere, & lacerare contenditis nullo certè iure vti apparet ex tenore veſtræ ipſius epiſtolæ in qua fatemur inquitis vitam Archiepiſcopi eſſe prorſus inculpabilem. Qui ergo pergitis eius iura, & vices vituperare quem tantopere commendatis. Valentia 26. Ianuarij, anno 1586. Ego Rex. De mandato Suæ Maieſtatis ego Matthæus Vaſquez. Nihil dici potuit congruentius ad refrenandam audaciam accuſantium, & innocentiam Toribij manifeſtandam. Eo teſtimonio territi aduerſarij, à propoſito ſunt deterriti, & Toribius ad iura Eccleſiaſtica tuenda confirmatus. Res ea vt in vulgus exijt, magnam attulit Archiepiſcopo exiſtimationem. Itaque exindè & coli religioſiùs, & amari impenſiùs cœpit.

Conſtat inſuper aliud ſecundum Concilium ab eo celebratum anno 1601. fuiſſe. Acta in obſcuro ſunt. Tertiũ inchoauit 2. Aprilis, anno 1601. & abſoluit 18. eiuſdem menſis, & anni. Eius ſumma, vt mandatas primi cuſtodirentur. Fortaſsé hoc fuit argumentum ſecundi: quare non erat opus nouis vel actionib., vel decretis. Acta obſcuriora nec admodũ plena fuiſſe videntur: nec de ijs, qui interfuerunt Epiſcopis, quicquam exploratum habetur. Id conſtat, Toribium religioſiſſimum ſe præbuiſſe in ſeruando Decreto Concilij Tridentini de celebrandis Concilijs, tum Prouincialibus, tum Synodalibus, quemadmodum apparet ex relatione ſcripta eiuſdem in qua ſic. *Habui præterea alias ſinodos Diœceſanas annis 82. 83. 84. 85. 86. & alias anno octogeſimo octauo, nona*

geſimo ſexto, & ſingulis bienniis ad alias conuocabam Clerum iuxtà facultatem mihi conceſſam à Papa Gregorio XIII. vt dum viuerem Concilia mihi celebrari licitum eſſet ſingulis ſeptennijs Prouincialia, ſingulis bienniis ſynodalia. Ita Religionem ſibi iniectam dempſit, & Eccleſiæ ſuæ conſuluit, quandoquidem venia Põtificis ad ſeptẽnium reuocauit Prouincialia Concilia, & Synodalia ad biennium, & hac frequentia celebrandi Eccleſiaſticę diſciplinę, moribuſque conſuluit.

CAPVT XVII.

Seminarium erigit, & quid ex eo diſſidii cum Prorege extiterit.

SImul ac Archiepiſcopus factus eſt certior confirmatum eſſe à Sede Apoſtol. ſuum illud Primũ, & Limæ tertiũ Conciliũ ſtatuit eius cõſulta, & decreta pręſtare. Cúmque vnum, ac ex præcipuis eſſet illud acceptum ex Tridentino Concilio, vt Epiſcopi curẽt in ſuis Eccleſijs Seminaria inſtituere, vbi pueri, & adoleſcentes educentur, ac inſtituantur ad res, & ritus Eccleſiaſt. exercendos, & Eccleſiam iuuandam, & ornandam, Toribius ſtatim animum applicuit ad illorum erectionem, deducta in id ſumma, ex reditibus Eccleſiaſticis idonea, & quæ ſatis eſſet ad iuſtum ſeminarium excitandum, & amplum in eo iuuenum numerum alendum. Itaque anno 1581. initium vnius poſuit Limæ in vrbe Metropolitana, quod primnm fuit omnium quę apud illos Indos Occidentales erecta ſunt. At-

que vt res illa illuſtrior, & congruentior eſſet, eodem tempore Regium edictum exiit de ſeminario inſtituendo: vt Eccleſiaſtica in Archiepiſcopo cura Regiæ in Principe curæ reſponderet. Verùm quod pium, & Sanctum erat opus, aduerſarium habuit eũ, qui omnibus bonis, & honeſtis actionibus aduerſatur. Igitur tempeſtas orta eſt ex eo tanta, vt nulla tetrior poſſet excogitari, ac eò periculoſior quòd credebantur inter ſe iura Eccleſiaſtica, & Regia certare. Altiùs tamen ducendum principium.

Cùm Limæ vrbs ædificari cæpta eſt, habitarique ab Hiſpanis, ea ratio Indorum habita fuit, vt qui é Mediterraneis regionibus venirent ad locandas operas ſuas Ciuibus, eoſque tum intra vrbem in domibus, & erigendis, & ornandis, & purgãdis, tum extra in hortis, & agris colendis, & irrigandis iuuare vellent, ijs certi quidam fundi aſſignarentur, é quibus ali, & veſtiri poſſent. Quorum & ingens vis erat, & diuerſa linguæ, vociſque ratio à communi cùltu abhorrens: vt inter barbaros. Ad eos tanquam ciuitate donatos, & domeſticos futuros inſtituendos, & doctrina Catholica imbuendos magiſtris opus erat, qui difficulter tum ob diſtantiam locorum, tum ob diuerſitatem nationum, & varietatem linguarum ijs myſteria Fidei explicari poterant. Eiuſmodi verò pauci, vt in tam remotis regionibus, reperiebantur: ac proinde laborabatur vehementer. Quare aliter prouiden

dũ fuit. Viſum ex re Chriſtiana,& publica Licẽtiato Lupo Garziæ Caſtrio tum vice gubernatoris vendi iſtos fundos (Solares vocant Hiſpani), & ex pretio emi agrũ vicinũ vrbi continentem , & in eo collocari omnes Indos antea diuiſos, ac diſperſos, vt ſemel coniuncti viuerẽt. Ac ijs aſſignari iuſſit omne tum ſacræ, tum domeſticæ ſupellectilis genus, vt communem haberent Eccleſiã, ædiculam, aulam, conuentum &, vt melius iſta procederent rem totam commiſit viro graui, ac nobili, ac induſtrio Didaco Porrezio Sagredo, qui neſcio an fuerit ſtirpis Venetæ, cuius vna ex Illuſtriſſimis Familijs eſt Sagreda. Cuius ego & ſanguinis, & nominis noui præſtantiſſimum Romæ Oratorem tum ordinarium, tum extraordinarium Nicolaum Sagredum nunc Venetijs Equitem, & Procuratorem Sancti Marci, virum omne virtutum genere excellentem, lumen Reipublicæ, & optim um doctorum hominum Mæcenatem, apud cunctos tum domeſticos, tum externos gratioſiſſimum, ac de omnibus bene. meritum, dignumque de quo Patria glorietur. Placuit illud inſtitutum Proregi D. Franciſco Toletano, mandauitq; Doctori Gregorio Gonzalez de Cuenca, vt rem ſeriò ſuſciperet, ac promoueret, ac eum locum domibus frequentem redderet, muro circumdaret, & quaſi nouã vr bem faceret: quemadmodum ille diligenter fecit. Conſtitit locu s, eique nomen inditum Sancto Iacobo. Vulgo ap pellatur Septum. Indis iam eò reductis, & in-

tus incluſis præfecit Patres Societatis Ieſu anno 1571. ad eos ſacris imbuendos, & initiandos. In alia Regione S. Lazari dicta trans fluuium erat aliud oppidulum Indorum Piſcatorum aſperum ob ſitum ſaxoſum, & eò infrequentius. In quo tamen & in Eccleſia loco ſimili, quæ oppidulo nomen dabat Archiepiſcopus Limæ ſeorſim Sacerdotem, é ſuis præpoſuerat. Poſteà tamen quòd moleſtum erat eos Indos ſeparatos inſtituere, Prorex Comes del Villar habitatores S.Lazari loco mouit; & ad Septum traduxit, vt in vnum cum ijs populum coaleſcerent: & cuncti parebant Patribus Societatis. Ac ne Archiepiſcopo ea iuriſdictio auferretur, Prouiſor ipſius, quòd ille luſtratione Prouinciæ ſuæ occupatus aberat, præpoſuit Sacerdotem hiſce poſtremis, qui eos vt anteà erudiret. Accidit, vt Prorege iam Garzia Hurtado de Mendoza Marchione Cagnettio, cui erat Frater Ieſuita Fernandus Mendoza, ac in Collegio Societatis habitabat, poſt confectam viſitationem rediret: importuné quidem, quòd Sacerdos ille deceſſerat, & res tota ad Patres Ieſuitas deuoluta fuerat. Non deſtitit tamen à ſua tuenda iuriſdictione, & alium ſubſtitui iuſſit in mortui locum. Interceſſit Prorex, & impediuit ne ille introduceretur: ac decreto ſanxit ſuo, vt omnes Indi in poteſtate Patrum Ieſuitarum eſſent. Archiepiſcopus vt ſe vidit expelli, exarſit ſtudio religionis, & iuris Eccleſiaſtici. Qui enim Prorex eam ſibi poteſtatem arrogabat. Id

non

non licere Proregi, quòd alterius eſſet ſubſellij. Eum Politicum Regimen habere, ſuis ſe terminis contineret, ne vellet in vetitos fines tranſilire, ſeque, & Paſtorem, & Curatorem animarum ab officio ſuo repellere. A ſe non inuadi Regia iura, non debere Proregem Eccleſiaſtica vindicare. Hæc Toribius primùm modeſtè, ac moderatè, vt leuiter moneret officij ſui Proregem virum, & illuſtrem, & generoſum. Mox cum videret nihil hac ſe ratione proficere, acrius cępit, ac vehementius agere, & iura ſua proferre. Nihil tamen ei res procedere. Prorex obſtinatior factus in propoſito perſiſtere, nec quicquam commoueri. Sed non eò timidior factus Archiepiſcopus vrgebat cauſam Eccleſiæ. Hinc indignatio, & ira Proregis animo inceſſit, quę ea occaſione creuit. Conatus eſt Prorex in Cathedrali Eccleſia eminentiora quædam, quàm cæteri antea habuerant, obtinere, & pluribus excipi, & haberi officijs à Clero, quā Archiepiſcopus licere exiſtimabat. Itaque, vt auido eius honoris occurreret, dixit palam, ſed comiter, & ſuauiter, ſe in ea re obſeruare ſtatuta Concilij ſecundi Limenſis: quæ modum, rationemque agendi in Eccleſia cum Proregibus prę ſcripſerat. Non tulit hoc Cagnettius, & prorupit in ſigna iracundiæ, quòd exſtimabat ſe haberi ab Archiepiſcopo contemptui: ac deinceps rarò in Eccleſiam venire, inuitus cum veniebat morari, Archiepiſcopo durum, & aſperum ſe præbere, occaſiones quærere offen-

ſio-

ſionum,quas facilè fuit inuenire,præſertim cum eſſent nonnulli addicti partibus Proregis, qui eius gratiam,ac Regis, cuius perſonam gerebat, aucupabantur.

CAPVT XVIII.

Varijs modis ad Patientiam Toribius exercetur, ac proficit.

MOs erat inueteratus apud Indos,vt Curiones, & Prępoſiti Eccleſijs Chriſtianorum, ac Miniſtri ſacrorum certas pecuniæ ſummas, & demenſa ſtatuta é publico haberent pro ſtipendio debito functionibus,quas obibant, id quæ, vt æquum erat,à principio conſtitutum. Verùm procedente die, & propter maiorem fidelium multitudinem, & varietatem occupationum,rationes illius ſummę turbari cœperunt, & obſtrepente auaritia plus impoſitum Chriſtianis, quàm iuſtum, & æquum poſtulabat. Onera excuſabant incrementa, & tegebant exceſſum. Itum ſemper obuiam cupiditati:quà decretis Conciliorum, quà publicis decretis, quà reprehenſionibus priuatis, quà Regijs Diplomatis:in hoc inuigilare & Epiſcopi,& Proreges,vigilantes,ac cauentes,ne greges degluberentur. Sed inueterata conſuetudo,& dulce malum cupiditatis altiores radices egerat,quàm vt penitùs poſſet auelli: prę́ſertim in remotiſſimis, & vaſtiſſimis Prouincijs, quarum & diſtantia, & amplitudo conſume-

bat,& eneruabat vim legum,& præceptorum. Archiepiſcopus in hoc vehementer incubuit, & in hoc Tertio Concilio canonem condi fecit, quo ſummę illę, ac demenſa taxabantur, & ſeueré Decreto vetitum, ne quis tranſgrederetur limit es ijs prę fixos: ſinguli Epiſcopi in ſuas Eccleſias exempla deportarunt cum mandatis, vt obſeruari iuberent. Ac de eo monuit Toribius Clementem Papam Octauum. Idem canon inſertus fuit in inſtitutione data Viſitatoribus Diœceſeon Limæ, Imperialis, Cuzqui, Chilis, Tucumani, Fluu. Argenti, & Paraguaij, quæ reperitur typis mandata in libro Conſtitutionum Synodalium, quas poſtea ſucceſſor Toribij D. Bartholomæus Lupus Guerrerius compilauit,& coniunxit, in quatuor capitula diuiſa, quæ diſtinctè ponunt modum procedendi in exigendis ijs ſummis, demenſiſque Curionum,& aliorum res Eccleſiaſticas adminiſtrantium. Hęc omnia conſtant, & fama confirmat integritatem, & ſeueritatem hac in re Toribij, ac omnium Indorum vocibus teſtatum fuit. Verùm Prorex, ſiue quòd malum adhuc ſerpebat, nec poterat penitùs auferri, ſiue quòd quempiam priuatum comperit eius Decreti minus obſeruantem, ex eo ſumpſit occaſionem criminandi, quaſi id culpa Toribij accideret. Itaque & negligentiam obiecit, eumque eo nomine apud Regem ſubtiliter arguit per litteras, ea tamen ratione, vt non tam accuſare Toribium, quàm ſe laudare videretur: ſed ea laus in notam

To-

Toribij aperté redundabat. Nihil tamen profecit. Nam ita eſt ab Rege reſponſum, vt Proregi quidem gratiæ agerentur. Cęterùm de Archiepiſcopo penitùs ſileretur: quòd Rex ſciret quanta eius eſſet & integritas, & ſanctitas: cùm recens eſſet memoria actionis ab eo intentatæ in Concilio contra Epiſcopum Cuzquenſem ſuper immoderata redditu um exactione, & nouis onerum impoſitionibus: quo nullum poterat eſſe aptius, & validius ad refutandam calumniam argumentum. Conſtabat pręterea miniſtris Concilij Regis Indiarum, in Concilio Limenſi decretum fuiſſe, ne quid vel minimum pro adminiſtratione Sacramentorum ab Indis exigeretur, ac idipſum in tertio renouatum. Ac propterea nihil motus eſt Rex criminationibus ſuper ea factis, qui optimé nouerat quàm longé eſſet Toribius a quacumque nota cupiditatis. Hæc prima offenſionis cauſa. Secunda extitit ex ſucceſſione Cameræ Regiæ in bona Clericorum. Lex Caſtellæ iubet, vt in ijs regionibus Indorum Clerici liberé condant teſtamentum, ac in eorum bona etiam acquiſita titulo Eccleſiæ, aut Beneficij, vel Prębendæ, vel Officij, vel Redditus Eccleſiaſtici, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato ita ſuccedatur, ſicuti in alia bona patrimonialia, ſiue proueniant ex hereditate, ſiue ex donatione, ſiue ex legato: vnde ſequebatur Clerico ſine vllo hęrede defuncto, & ab inteſtato Cameram Regiam, non Apoſtolicam in ea bona ſuccedere. Idq; ſeruari iuſſum ab initio fermé In-

diæ

diæ exploratę,ex quo in eam eſt Catolica Fides inducta, & res Eccleſiaſtica conſtituta, apparetque ex Regijs Diplomatis antiquiſſimis ad Epiſcopos illarum regionum miſſis. Archiepiſcopus eorum obſeruantiæ, ac legis principalis diligentiſſimus cuſtos fuit,quòd eæ leges & ſtatuta Regia permittebantur à Summo Pontifice. Sed quoniam eueniebat perſæpè, vt miniſtri Regij plus ſibi,quàm per eas leges liceret,arrogarent,ſeſe ijs opponere acriter ſolebat, vt ius Eccleſiaſticum vindicaret. Ac quemadmodum Prorex intercedebat Clericis vltra ęquum in exigendis,& imponendis oneribus tendentibus, ita, & Archiepiſcopus miniſtris Regijs terminos Sacroru m Canonum tranſilientibus ſeſe fortiter obijciebat : quæ res ei laudem apud Summum Pontificem, & Eccleſiaſticum ordinem, & inuidiam apud Proregem, ac miniſtros Regios concitabat. Quare quicquid hac de cauſa paſſus eſt, gloriæ dandum, non vitio vertendum, quòd ſuo officio fungebatur. Tertiæ occaſionem præbuit acrior,quàm par erat, reprehenſio ei de Regis mandato illata palàm, & coram iudicibus, quòd cum ille de rebus Eccleſiaſticis impeditioribus, quàm vt in Indiis poſſent expediri, Summum Pontificem per litteras Romam miſſas conſuluiſſet, deque eo à Legato Hiſpanico Romæ tum agente(is Seſſæ Dux erat)Rex monitus fuiſſet, viſum eius Conſiliarijs Archiepiſcopum à recto, & æquo deuiaſſe: atque adeo decretum, vt ille tan-

quam nimis Sedi Apoſtolicæ addictus, & minus iuris Regij obſeruator à Prorege Marchione Cagnettio reprehenderetur. Quare vocatus ad iudicium, lectis primum Regijs litteris ſeuerè increpitus eſt, ac monitus ne iterum iuri Regio derogaret. Quò ille in euentu ita ſe geſſit, vt omnibus admirationem moueret, cum, & præſens eo in iudicio ſiluerit, & patienter increpantem auderit, & dimiſſis id tantum dixerit ad amicos. *Equidem ſentio Regem noſtrum iratum mihi vehementer tunc fuiſſe cum increpari me iuſſit. Quoquomodo fuerit, non omittam eum lenire, ac meì rationem reddere; nec enim aut animus mihi eum incitandi fuit, aut vlla in re ei incommodandi. Dominus meus eſt: parendum, dummodo tamen diuina ſeruentur: quæ me ex officio curare decet Cæterum ille ſua vtatur, ego mea fruar conſcientia.* His ille verbis omnibus, & obſeruantiæ in Regem, & in Deum pietatis ſingulare præbuit ſpecimen. Dolore non caruit, quòd homo erat, & humani à ſe nihil alienum putabat, ſed illi tamen ita moderatus eſt, vt in poteſtate ſua ſenſũ videret ur habere. Certe vel æmuli eius, & in officio retinendo conſtantiam, & in perferenda moleſtia patientiam laudarunt. Euentus fama perlata Madritum magnos in Curia fecit clamores: apud Summum Pontificem in pretio habitus fuit. Itaque vbique ob prudentiam, & moderationem probatus, quòd neque Regio iuri detraxiſſet, neque Pontificio defuiſſet. Inter eas duas lances æquamentum tenuit mediocritatis.

Quarta, & moleſtior eiuſmodi fuit paulo ante tacta, nunc laté narranda. Obuerſabatur ante ocu-

los Alphonſi Tridentini Concilij ſtatuta, vt ea diligenter obſeruaret. Vnum ex ijs erat erectio Seminariorum: & quidem ea res tractata iam fuerat in ſecundo Concilio Limenſi, ac in tertio decreta, atq; ad id tria è centeſimis Eccleſiaſticis aſſignata, quæ res etſi nonnullis noua, & durior in ijs regionibus videretur deciſa, tamen communibus ſuffragijs Romam miſſa, tanquam conſentanea Tridentino Concilio, & plurimum neceſſaria nedum vtilis, *in nouis Indorum regionibus, quæ miniſtrorum, & numero, & facultate magnoperè indigent*: quæ clauſula inſerta litteris Concilij fuerat. Placuit Curiæ Romanæ Decretum, quod item Madritti receptum, & commendatum maiorem obtinuit vim ad rem præſtandam. Itaque Archiepiſcopo Toribio mandata erectio, quam ille ritè ſuſcepit. Primùm commodum deſignauit locum, ſitum delegit, ac deſcripſit, emptum in fórmam ſeminarij redegit: ac è reditibus impenſas collegit, & quòd ægré ad ſumptus ſufficiebant non paruam de ſuis ſummam adiecit. Quare breui opus perfectè abſolutum. Ac vt ornamentum operi adderet, de more Arma ſua Portæ affixit. Paratis omnibus ad conuictum neceſſarijs, Collegas eligere perrexit. Vix dum nominare cœperat, cùm Prorex Marchio Cagnetti ſpecie tuendi iuris Regij Patronatus, militum manum eò miſit cum turba fabrorum, vt Arma illa delerent, ac tollerent: quemadmodum geſtum eſt vi, & palam, vrbe attonita, & rem mirãte, cauſam-

que inquirente. Præterea deſignationem ac nominationem Collegarum idem Prorex ſibi vendicauit, ac inſuper Rectoris, & cęterorum Collegij miniſtrorum electionem, & vniuerſam præfecturam arripuit, eo nomine, quòd iure Patronatus ea omnia ad Regem pertinebant, cuius ille vicem gerebat. Itaque momento ſe vidit Toribius priuatum iure, honore, fructu ſuorum laborum, ac excluſum poſſeſſione Seminarij, cui tantum inſudauerat. Grauiter hoc tulit totus pene ordo Eccleſiaſticus, exceptis paucis quibuſdam, qui ſecretò fauebant partibus Marchionis: qui cum vidiſſent Archiepiſcopi manſuetiſſimi patiētiam, & taciturnitatem, illum clam, & palam ad ſuum ius repetēdum ſtimulabant: at ille non omiſerat quod officij ſui erat ſcribendo Regi, ac ius ſuum repręſentando, cęterum tacebat, quòd nollet cum Prorege, ac eius fratre collitigare; mallebat expectare dum Rex cuius Religionem apprimè nouerat, ſtatueret quid agendum, idque ipſum litteris declararet. Interim quieſcere, rem Deo commendare, ſeque ab omni iniuriæ, vel accipiendæ, vel inferendæ ſpecie abſtinere. Ferunt in colloquio virorum ſapientium, & religioſorum, cum hi mirarentur Proregis & vituperarent audaciam (grauius appellabant) & vehementer cum Archiepiſcopo expoſtularent, ipſumque ſocordiæ, & timiditatis arguerent, & multis rationibus conarentur incendere, quòd remiſſius cum eo ageret, ipſum ſedatè reſpondiſſe.

Deſinite, quaſo, me ad iracundiam prouocare, non ſunt res Eccleſiaſtica militari more tractanda. Ego in defendenda mea iuriſdictione non committam, vt animus meus vel leuicula culpa maculetur. Nec vero exſtimetis à me cauſam neglectam eſſe, aut neglectum iri. Scripſi ad Regem, ad quem ſcio ſcripſiſſe Proregem: rationibus agitur apud ipſū, ha rē tranſiget. Iure non ira, cauſa hac terminanda. Doleo ſpecie iuriſdictionis Regia Religionem imminui, & iuſti, ac pij Regis nomen obtentui iniuria eſſe. Verum non ero immemor officij mei, ac in eo, & ſuſtinendo, & vindicando vſque ad ſanguinis profuſionem pugnabo.

Detulerat rem totam ad Regem Prorex, ac vt cauſam tueretur ſuam, iniquiùs egerat cum Toribio, eumque grauiter p upugerat. Subodoratus id Toribius, eò moderatiùs ſcripſit: re tantùm commemorata, vti geſta fuerat, arbitrio ſe Regis, quod æquiſſimum eſſe ſciret, committens. Is euentus fuit, vt Rex decreuerit Archiepiſcopum iure egiſſe: ac iuſſerit, vt ille collegas, & miniſtros nominaret, ac eligeret, & rem omnem adminiſtraret. Prorex verò omninò ab ijs abſtineret, ſtemmata reſtituerentur vt prius, dummodò tamen Regium ſcutum cum armis Regijs ſuperiori loco, cui ſubiecta eſſent illa Archiepiſcopi poneretur. Atq; vt idonea rei ſit fides, operæ pretium erit intexere particulam litterarum abs Rege ad Proregem miſſarū, quæ huiuſmodi eſt: *Scripſi, qua iudicaui expedire in cauſa ſeminarii. Summa eſt. Omittas qua ad ſeminarii adminiſtrationem ſpectant, ea ad Archiepiſcopum pertinet: cuius item eſt electio collegarum ſecundùm ſtatuta Concilii Tridentini, & decreta tertii Concilii Limenſis iſthic celebrati anno* 1583. Præterea liceat eidem Archiepiſcopo arma ſua in domibus Colle-

gii affigere, dummodò tamen Regia editori loco ponantur, in ſignum prærogatiuæ patronatus mei, qui ad me iure, & authoritate Apoſtolica in iſtis regionibus pertinet. Sic trāſacta res magna cum gloria Archiepiſcopi: cuius tanta fuit poſt obtentam cauſam modeſtia, vt priuilegio ſua in Collegio ponendi arma vti noluerit, & Regijs loco ceſſerit integro ijs loco relicto: quo ingentem ſibi apud Regem gratiam & populum beneuolentiam, & admirationem conciliauit. Manet hoc ſeminariū nomine Toribij inſignitum, quod celebre initio, & copioſum extitit, numero quadraginta Collegarum, Becas dicunt, qui poſtea ad vigintiquatuor ſunt redacti. Statuto eo vtuntur, vt tunica ſit cineracei coloris: trabea, ſiue faſcia ſupercincta flaui. Præeſt vnus Rector Sacerdos, & hic docet Collegas litteras humaniores. Sunt præterea ſex alij ſacro cantui deſtinati, quorū curam gerit Archiphona ſcus Cathedralis Eccleſiæ, qui habitat in ſeminario, ac pars eius cenſetur. Singulis diebus feſtis tenentur ex officio ſex illorum ſeruatis vicibus ad Cathedralem venire ſeruitum ſacris. Redditus ad ſex mille circiter pondo, ſic vocant monetam aureo ſimilem, perueniunt. Ita rem Archiepiſcopus ſtatā, certamque reliquit. Prodierunt ex eo inſignes in omni litteratura, & ingentes viri, qui honeſtates, & Magiſtratus præclaros & btinuerunt, & geſſerūt. Quorum vnus fuit, quem honoris cauſa nomino, D. Bernardinus ab Almanſa Archidiaconus Cathedralis Argentenſis, & poſtea in Hiſpania Inquiſitor

Logronij, & Toleti, tandem Archiepiſcopus Sancti Dominici, & noui Regni Granatæ, quo in munere defunctus eſt.

CAPVT XIX.

Erigit Sacellum Sacræ Imagini B Mariæ Capocauanæ, & fundat Monaſterium S. Claræ.

FEruente controuerſia ſeminarij inter Archiepiſcopum, & Proregem Marchionem Cagnettium: quę amplam patientiæ ei materiem prębuit, quemadmodum proximè memorauimus, prouidit Deus, vt & Archiepiſcopus fructum haud pęnitendum moleſtiarum ſuſciperet, & grex illius ſolatiũ ingens, ex ea communi perturbatione caperet, eaq; controuerſia felici quodam exitu terminaretur. Et quidem res ſic ſe habuit. Erat in eo populo Ædicula parua Eremitorium dicũt, in qua imago quędam priſca, & propterea venerabilis Magnę Matris Beatæ Mariæ iamdiu mira Indicæ gentis religione colebatur. Exemplar habuerat aliam vetuſtiorem, quæ in alia Prouincia Peruana, Hermaſuyo dicta, primum expreſſa fuit, & in edito quodã loco Diœceſis Pacis, Conuentus Chucuiti in celeberrimo Sacrario (Capocauanam incolæ dicunt) repoſita magnam venerationem obtinebat, Capocauanæ nuncupata. De cuius origine, celebritate, ac miraculis ſcripſit Frater Alphonſus Ramus Gauilanus Eremita Auguſtinianus, apud quos illa ſeruatur.

Ean-

Eandem Frater Ferdinandus Valuerdius heroico Poemate deſcripſit, & laudauit. Eius fama miraculis aucta, exciuit ſtudia piorum ad exempla inde petenda, & in varias partes transferēda. Quorum vnum in hac Regia Madritti Curia viſitur in Templo illuſtri Incarnationis, quod è Regno Peruano exportauit Frater Michael Aguirrius, & die ſolemni Dominica, quæ eſt octaua Paſchæ, anni 1652. magno concurſu populi collocauit. Hęc effigies alteri admota, quód eam & tetigerat, & impreſſerat miros pietatis ſenſus in animis intuentium cōmouit. Redeundo ad iſtam Limenſem. Ei ſummus habebatur honos, eratque inſignis ob magnitudinem, & ſpeciem auguſtam. Verùm ob inopiam oppidanorum minùs quàm pro dignitate ornata erat. Contigit aliquando, vt detecta à ſuperiori parte, & omninò aperta inueniretur, ac temporis iniurijs expoſita. Suſpicionem res fecit non caſu, ſed dedita opera factum. Inquiri de re diligenter de mandato Archiepiſcopi iuſſum, & cœptum, & ad ſarciendam iniuriam, Numenque placandum aperta templa, indictæ ſupplicationes, expoſita Euchariſtia, preces publicæ aſſignatæ, ſacra diuerſi generis inſtituta. Cum nihil inquiſitio proceſſiſſet, vt in poſterū caueretur, viſum eſt Archiepiſcopo é re eſſe, ſi ea effigies ex eo loco ad Cathedralem Eccleſiam transferretur, & ſacello idoneo ad id parato in ara ornatiſſima collocaretur. At priùs iure agere voluit Archiepiſcopus nihil remit-

tens tamen curam inueſtigandi auctoris mali. Verùm aliud agebat Deus, qui Miſericordiæ ſuæ, cum res ad iuſtitiam referebatur, ſpecimen præbere volebat, & iniuriam miraculo compenſare. Dum parabantur ea, quæ opus erant ad Imaginis tranſlationem inſigne miraculum accidit. Sacra effigies ſudare cępit, & ad Ieſum, quē in ſinu habebat filium peruenit ſudor, amboque ſudore copioſiſſimo maduerunt. Rumor primùm, deinde fama ad Vrbem perlata exciuit Ciues. Viſa res commouit animos vehementer. Omnium oculis ſudor patebat. Quatuor horas fluxit. Accurrit item eò Archiepiſcopus, iuſsit colligi ſudorem manantem in calicem. Vnus non ſuffecit, duo repleti ſunt. Excitauit admiratio fidem. Tangi eo ſudore cępere morbidi, momento ſanati. Nullum genus mali prætermiſſum. Subitò cæci oculos, aures ſurdi, manci brachia, claudi crura recepere. Languētes, & affecti diuturnis, & occultis morbis valuere. Nemo manſit infirmus. Sanitas communis fuit, & publica. Illa extitit mirabilis curatio. Erat Limæ quidam Vir Anglus, é multis, qui annis ſuperioribus capti fuerant, dū ad Magallanicum fretum nauigarent, is paralyſi miſerabiliter vexatus penè truncus iam pridem iacebat. Hæreſi Caluiniana infectus, non minus animo laborabat, quàm corpore. Is, cùm ſibi eſſet allatum, tot miracula fieri, idq; experimento deprehendiſſet, concepta ſpe ſalutis venit alienis delatus mani-

bus ad Eccleſiam, ac repenté mutatus, ſic ad Virginẽ. *Ne tu me,* inquit, *deſere, Virgo Sanctiſſima; opitulare miſero: Si me malo iſto liberaueris, ego te deinceps ex animo colam, meq; Romano Catholicis aggregabo.* Vix dum finierat, cum ſanus è grabatulo exiliuit, & liberé ambulauit. Clamor inde ingens, & plauſus exortus. Ipſe multorum amplexu exceptus ad officij locum deductus, & publica edita confeſſione fidei, abiurata hæreſi, Eccleſiæ aggregatus fuit. Nec eo contentus, tanto pietatis commotus eſt ſenſu, vt ſe ſe deinceps Virginis ſeruitio mancipare voluerit, idque dum vixit præſtitit, adictus Imagini, eamque, & colens, & ornans vice Æditimi, ſummo ſuo ſolatio, & ingenti catholicorum admiratione: inceſſit ſtuſtudium Archiepiſcopo miraculum confirmandi. Itaque acta iuris more concinnauit, & publicæ fidei fecit; poſteà effigiem magna celebritate ad Cathedralem Eccleſiam transferri curauit, & in Sacello ad id ſuis extructo ſumptibus collocauit, & ſuper aram poſuit. Adiecit Sodalitium Indorum certis inſtitutis nixum ad pietatem comparatis. Eum ſtatum, & locum tenuit effigies, dum vixit Toribius. Eo mortuo neceſſe fuit ſedem mutare. Nouus Imagini locus aſſignatus: trans fluuium in Regione Sancti Lazari ad id ædificata Eccleſia: cui adiuncta domus, in qua Sacerdos quidam habitaret, qui illius curam gereret, & rem diuinam quotidie faceret, & Sacramenta Indis miniſtraret: quæ ſunt acta auſpicijs Archiepiſcopi D.

Bartholomęi Guerrerij. Verùm non eo viuo tranſlata Imago; tantùm neceſſaria comparata. Poſtea Archiepiſcopo D. Ferdinando Aria Vgartio, & Prorege Comite Chinconio translatio facta fuit. Limenſis Eccleſia memor acceptorum à B. Virgine Capocauana beneficiorum, & grata ob ea, quæ quotidiè experitur, & auida futurorum quotannis eò ſupplicationem inſtituit, ad eamque adit venerabunda die 28. Decembris, qua die tranſlata eſt, quaque ſudòr emanauit: & intereſt cum omnibus Magiſtratibus officio, & Miſsæ, quæ ibi celebratur. Habetur Concio cum magna frequentia populi, & ſimul agitur memoria Archiepiſcopi Toribij, cuius ibi etiam imago palàm expoſita viſitur, & in partem Sacrorum tranſit.

Coquebat animum Archiepiſcopi cura virguncularum orbarum, & mulierum à maritis ſeparatarum, quarum pudicitia periclitari ſolet. Inceſſit animo deſiderium eas omnes in commune Domicilium colligendi. Verùm pro anguſtijs rei familiaris continuis exhauſtæ eleemoſynis, facultas minimè ſuppeditabat. Intellexit rem Franciſcus Saldagna Vir Nobilis, & copioſus: venit ad Toribium, & ſponte ſua ei obtulit expenſarum ſummam idoneam, duum fermè millium aureorum, eamque ſcripto chirographo donauit. Gratiſſimũ id accidit Toribio, & actis gratijs reliquum de ſuo penu adiecit. Emit locum idoneum non longè à foro maximo. Admoueri iuſſit operi ma-

num. Quod breui abſolutum multiplicatis operis. Verùm vbi totum ſuis partibus cōſtructum conſtitit, aptius illud viſum pro Monaſterio Sacrarum Virginum, quàm pro Gynæceo ſęcularium. Quare mutato in melius conſilio conuerſum eſt ædificium in Monaſterium Virginum Monialium Inſtituti Sanctæ Claræ. Placuit Ciuitati opus, eique, quod redditus tenuiores erant, Prorex Ludouicus Velaſcus certos fundos aſſignauit. Addidit Toribius de eccleſiaſticis fructibus, quod ſatis eſſet ad iuſtum numerum Monacharum alendum. Poſteà tamen idem Saldagna, cùm vidiſſet profectum, & ſplendorem ædificij, & quantum ex eo vtilitatis caperet Chriſtiana Reſpublica, omnem eis ſuam ſubſtantiam addixit. Quo exemplo accenſi alij, tùm ex Hiſpanis, tùm ex Indis multa contulerunt, ex quibus ingens redituum copia conflata eſt. Quæ omnia, quòd ex litteris eiuſdem Archiepiſcopi ad Clementem VIII. Papam conſtant, earum hìc particulam volui inſerere. *Fundauit*, inquit, *hoc Monaſterium Vir quidam Nomine Franciſcus Saldagna donato ad id integro ſuo patrimonio ſumma duodecim, quatuordecimvè millia pondo, ſeque eius, citra vllam mercedem, & prǫmium ſeruitio mancipauit; teſtatus, ſi Clericus foret Capellanum ibidem, dum viueret, acturum. Rex autem Philippus à me de eo certior factus per litteras mihi mandauit, vt ſuo ei Viro Nomine gratias agerem, & confirmarem valdè ſibi opus placuiſſe, quod ad gloriam Dei, & commodum Chriſtianæ Reipublicę pertineret. Scripſit prætereà ad Proregem, vt, & reditus, & ſeruos de Regijs ſumptibus adderet. Hinc tanta pietas extitit Hiſpanorum, & Indorum, vt inter ſe de liberalitate certarent. Atque vt omittam Hiſpanos, Indi certè*

mi-

mihi admirationē iniecerunt, qui pro ſua quiſq; facultate eleemoſy. nas conferebant; alij ex pecoribus alij ex fugibus, alij ex mercedibus, idq; ſuapte ſponte & à nemine incitati; adeò vt ad me turmatim venirent agentes præ ſe oues, boues, equos, iumenta, aduehentes carros, plauſtra onuſta tritico, millio, hordeo leguminibus, caſeis, ouis, alijſque id genus me ab ea pietatis ſtudia lacrymante. Omnium vox erat; velle ſe animabus ſuis benefacere; quod in iis Neophytis barbaris mirandum eſt Itaquè Monaſterium procedit, ac ope diuina breui omninò perficietur. E re Eccleſiaſtica duco aſſignari illud Monialibus Sanctæ Claræ ex inſtituto ſancti Franciſci. Erunt verò in poteſtate Ordinarii, non me quidem Auctore, ſed iuxta placitum Saldagnę fundatoris. Hactenus Archiepiſcopus.

Abſoluto iam opere fundatrices elegit Virgines sāctimoniales magno natu quatuor, quæ degebant in Monaſterio Incarnationis eiuſdē Ciuitatis: quo vix vllum vſpiam reperias, aut illuſtrius, aut magnificentius, aut religioſius. Abbatiſſam conſtituit D. Iuſtinam à Gueuara, ſpectata prudentia, & explorata ſanctimonia fœminam, vnam ex ijs quatuor, cui cæteræ concedebant, quas honoris cauſą nominare placet. D. Anna ab Illeſcas. D. Barbara à Vega. D. Eliſabetha a Fonte, antè omnibus probatæ, nunc iudicio Archiepiſcopi electę probatiſſimæ. Atque vt celebriora forent initia, quæſitæ ſunt duodecim Virgines Nobiles, filiæ illorum, qui eas Regiones & explorarunt ingenio, & ſubiugarunt armis Ducum, quibus remiſſa dos fuit, vt claritudinis ratio haberetur. Has aliæ eiuſdem Nobilitatis ſecutæ ſunt. Auxit celebritatem inſigne Beatæ Mariæ Virginis Simulacrum, quod magno in pretio apud Ciues erat, ſitum in æde pri-

ſca ipſo nomine, nempé Rupis Franciæ (quod nomen in Hiſpania celebratur maximé) venerabile. Loco mota, & in templo conſtituta fuit, vt patrocinium ageret Monaſterij. Frequentari cęptum illud eſt die 10. Septembris Anni 1605. Ac ea die indicta ſtatio Monialibus, & interdicta egreſſio. Cæterùm adeò creuit, & floruit, vt anno poſt quinquageſimo peruenerit numerus incluſarum ad quingentas: quarum ducentæ quinquaginta Sanctimoniales, Nigri, vt aiunt, Velaminis erant. Reliquæ Conuerſæ, Nouitiæ, Laicæ, & Seruæ. Redituum ſumma mille pondo fuit, quæ poſteà duplicata alterum tantum præſtitit. Quatuor ibi Capellas (ſic vocant) cum ſtata dote idonea cõſtituit, locauitqué Aloyſius Ludouicus Serna Prætor Vrbanus, pro ſua pietate: Capellanos quatuor: æditimum vnũ cõgruis aſſignatis ſtipẽdijs, collocauit. Hi adiũctis alijs officia diuina, ac Miſſas operantur ritè, ac ſolemniter, Monialibus ex Odęo canentibus: quarum mira eſt cúm rei muſicæ ſcientia, tum vocum, & inſtrumentorum harmonia, vt qui eas audiat Angelorum concentui intereſſe ſe putet. Iam verò Sacra Cimelia vaſis, & veſtibus pretioſis tam ſunt referta, vt nihil ſiué ad ſplendorem, ſiué ad pietatem eo in Monaſterio deſideretur.

Conſtitutis Monaſterij rebus recurſauit cura Gynæcei anteà puellis orbis, & fęminis malè collocatis à ſe, & à Saldagna deſtinati. Itaque ædificari cœptum prope id, de quo nos hactenus, Virgi-

num Cænobium. Cumqué iam promoueri cæpiſſet opus interceſsũ eſt ei à monialibus, quòd dicerent eam ſibi viciniam minùs congruere. Placuit interceſſio, atque adeò relicto illo iam inchoato, aliud remotiori in loco ædificatum; & quò id faciliùs fieret, Moniales emerunt illas minas tectorum, & reliquo Monaſterio emptas adiunxerunt. Gynæceo perfecto mulieres eò inductæ. Præpoſita honeſta mulier Cæno bio, præfectus Eccleſiæ Sacerdos, qui quotidianam miſſam faceret. Reditibus conſtitutis, normis præſcriptis, clauſura imperata. Hoc capitis iſtius iuſtum parergon eſto. Tanti fuit Archiepiſcopo Toribio Monaſterij Sanctæ Claræ ſanctimonia, vt ſæpé illud viuus inuiſerit, & poſt mortem in eo cor ſuum collocari iuſſerit, affectus erga illud manifeſtum argumentum. Itaque die translationis eiuſdem Corpori, ex Oppido Sagna ad Vrbem Limam (quemadmodum ſuo loco narrabimus) anno MDCVII. cor eò ſolemni pompa translatum. Ibi poſt aram Maximam in loco idoneo collocatum, vt ad Moniales ſpectet, renouetque apud illas memoriam Patris, & fundatoris. Atque vt illuſtrius monumentum fieret, addi iuſſit epitaphium conceptum verſibus Illuſtriſſim., ac Reuerendiſſimus Dominus Fratris eius, an Sororis? Filius, eiuſdem Limenſis Ciuitatis Archiepiſcopus, quod operę prætium duxi adſcribere, eoque narrationem terminare.

C OR-

CORDI

Illuſtriſſimi,ac Reuerendiſſimi D.Toribij Alphonſi Mogrouegij inter Diuos meritó adſcribendi ſepulto Limæ in Cænobio Sanctæ Claræ, epithaphium.

Huic tradi iuſſit proprium Toribius vrnæ
Cor,donec(ſicut ſpiritus) aſtra petat.
Sanguine quem clarum genuit Maiorica, Villa,
Valliſoletum nutrijt, excoluit.
Hinc à Salmantinis, qui dicuntur Oueti,
Collegis rapitur, dignus honore togæ.
Granatæ cenſor fidei à Prudente Philippo
Limanos populos,vt regat,eligitur.
Commiſſam rexit blando moderamine ſedem;
Subiectis placidus, pauperibuſque pius.
Concilijs docuit Peruanos dogma ſalutis.
Effectus ſpeculum, normaque Pontificum.
Fundauitq; domum Pueris, quam Sacra docendis
Tridenti Synodus iuſſerat erigere.
Hocq;Monaſterium ſtruxit,Monachoſq; ſacrauit,
Vt Domino fundant nocte,dieque Melos.

CAPVT XX.

Pontificia munera ritè, & accuratè exercet.

MEmor officij, quod gerebat Toribius, & boni operis conſcius, quod præſtare debebat, omnes quas Sanctus Paulus deſiderauit in Epiſcopis virtutes conatus eſt exercere: quarum nonnullas, quæ priuatim potiùs, quàm publicé exhibentur ſupra commemorauimus. Nunc, quæ ad commune bonum ſpectant, & foras emanant deſcribemus. Ac primum, quod nomen Epiſcopi præſefert vigilandi munus obiuit. Eſſe in ſpeculis, intendere aciem mentis, oculos circumferre per greges, ſicubi opus eſſet remedijs ad ea adhibenda non expectare venientes, ſed pręuenire venturos, nec tantúm occurrere neceſſitatibus, ſed præire, & anteuertere. Die attendere, nocte excubare, vacuũ ſe ab alijs domeſticis curis reddere, vt ouibus ſuis cogitationes ſuas impenderet: interrumpere ſomnum, ac cibum, vt earum balatus audiret: oſtium patefacere omnibus ad aditum: ipſe foras ſæpé exire, ac ſe offerre, & quodammodo alios prouocare: nemini ſe grauem, vel triſtẽ, vel moroſum exhibere, vt pudorem, & metum adimeret. Hæc humanitas erga populos amabilem cunctis illum efficiebat. Cæterùm illam certis reuerentiæ terminis continebat ad profectum ouium. In ſacris retinebat auctoritatem, & grauitatem, in ijſque ſe

venerabilem, & admirabilem reddebat. Nemo, eo agente rem Pontificiam, auguſtior, nemo ſplendidior. Simul ac, inquit idoneus teſtis Canonicus Bartholomæus Manachius, *infulā lemniſcatam capiti imponebat, exuere mortalitatem videbatur; nihil eo ſublimius, nihil admirabilius. Spirare quiddam humano maius, & ex altari afflatum quendam cæleſtem trahere, & diuinam repræſentare perſonam; citrà faſtidium tamen, quod ſingulari modeſtiā abſtergebat. Seruiebat diuinis, non contemnebat humana.* In ſolemnibus pompis, ac illa in primis, quæ fit die Corporis Chriſti ſacro, ornatu indutus Pontificali modeſtiſſimé incedebat, memor muneris, immemor ſui, ſenſu depoſito, curis ad Deum conuerſis. Exemplo componebat ſocios, & ſpectatores ad pietatem. Seruabat decorum eccleſiaſticum ſeuerè, dignitate retenta, non demiſſus, non neglectus, ne quid ineptum admitteret. Itaque cùm Viris Principibus occurrebat integré ſe, grauiterque gerebat, ne cederet. Ingredienti Vrbem nouo Proregi Comiti Montis Regij præſtolatus eſt ad oſtium Eccleſiæ Cathedralis, vnde pedem non extulit, ac in eo veſtibulo luſtralem ei aquam porrexit, illumque propterea in admirationem ſuæ Religionis adduxit. Ex quo apparet, qui eum vituperauit Cagnettium eum id priuato ſuo vitio, non Archiepiſcopi feciſſe. Deponebat extra ſacra iſtam, quam pro tempore ſumebat perſonam: adeò ſui intra domum diſſimilis, vt cum priuato habitu, & vulgari vteretur multis eo cauſarum, & negotiorum ergo venientibus occurrens ſpeciē fallēdi præberet, atq; adeò ro-

ga-

ʒaretur,vbinã eſſet Archiepiſcopus,cũ quo negotiũ
ıabere ſe fatebãtur. Quibus ille ſubridens ſe ſe pro-
lere ſolitus erat. Hac vice humanitatis,& grauita-
is temperatum quiddam præſetulit gratum, & iu-
cundum,extrà offenſionem, præter contemptum,
ntra beneuolentiam, & reuerentiam. Ornabat
nirificè Eccleſiam. Calices,patellæ,ſudaria,albæ,
oraria,planetæ,candelabra, Miſſalia conſpicieban-
tur. In conſecrandis inſtrumentis ad res diuinas o-
beundas eximia,& exquiſita diligentia fuit. Alta-
rium, & Calicum ab eo conſecratorum numerus
ſex mille fermè fuiſſe traditur. Veſtium Sacra-
rum magna vis. Imaginum, quòd eas illuſtrandis
Prouincijs vbique pro Aris collocabat, ingens co-
pia numeratur. Hæc omnia gratis ſemper dona-
uit, imò & proprijs ſumptibus confecit. Epiſco-
pos initiauit quatuor: eos donis affecit nullo ab ijs.
affectus dono. Dominum Reginaldum Lazarra-
gam Imperialis Epiſcopum ordinis Prędicatorum,
cum ijs,qui adiutores fuerant domi ſuæ liberaliter
excepit,magno eos numero conuiuarũ comitante.
Semel conſecrato altero,quem ab eleemoſynis ha-
buerat D. Ioanne Rocca, quod ſuſpicatus fue-
rat ab eo ſe inuitatum iri, citò ſe expediuit, & do-
mum ſuam contendit, nequam ſui occaſionem in-
uitandi daret. Annis ſingulis ſacrũ pro Chriſmate,
& extrema Vnctione oleũ conſecrabat. In eo verò
miniſtrando Sacramento multùm poſuit operę, ne
cui deeſſet. Ac fuit cùm illud proprijs manibus

porrexit. Sacramentum Confirmationis, quòd Epiſcopale id munus eſt, frequentiſſimé adminiſtrauit,adeò vt mirum ſit toties ab eo potuiſſe prę-ſtari. Sed qui vaſtitatem illarum Regionum conſideret, numerantibus fidem habebit. Sunt qui ſexcentùm hominum millia ab eo confirmationem recepiſſe,referant:alij millia octingenta. Nec deſunt qui anguſtum hunc numerum putent: Itaque millionem affirmant: & hi quidem, qui eum bené nouerunt, ac earum erant Regionum periti, quas luſtrabat. Tenuit ſententia,quæ affirmat ſexcenta fuiſſe millia; iſque numerus in ea narratione ab eodem Archiepiſcopo ad Papam Clementem VIII. miſſa cōtinetur. Verū ex ea rurſum colligi poteſt plures fuiſſe,cum ipſe ſuperfuerit Epiſtolæ, & alios confirmare potuerit: præſertim cum ipſe modeſtior in ſe laudando eſſe debuiſſet. Vulgò vltra decem myriades ijſſe numerus creditur:nec ſine Authore exiuit fama; nam id confirmat Fr. Dominicus Zarate Ordinis S. Dominici, poſtea Archiepiſcopus Guamanguanns. Miratur lector numerum; admiratione dignior adminiſtrandi ratio. Primùm:ne Indi rudes ſacrorum exſtimarent aliquid ex eo vtilititatis accipere, quicquid opus erat,& lini,& olei,& balſami, & ceræ id omne de ſuo apponebat. Atque vt ijs religionem afferret, matutinis horis,ieiunus illud conferebat: & adultos biduo, triduove ante monebat, quò expiatis confeſſione animos paratiores accederent.

Ob-

Oblationes omnes Indis remittebat. Ab Hiſpanis candelas recipiebat, quas tamen Eccleſijs relinqui iubebat; eo conciliabat opinionem, & affirmabat Sacramenti dignitatem: ſunt quędam mira, & digna relatu, quæ ei inter adminiſtrandum acciderunt. Semel Ioannes Rocca Curio Cathedralis Eccleſiæ eiuſdem poſtea Archidiaconus viaticum noctu, ſub conticinium, ad fęminam ægrotantem detulit. Manè interrogauit Archiepiſcopus, qui erat in ſpeculis, quiſnam eſſet ille, quem Sacramenti participem feciſſet, inſtinctu quodam id reſciuit diuino; deinde quæſiuit: vtrum ea mulier eſſet confirmata, nec ne? Cumque ſe ignoraſſe Curio reſpondiſſet, iniunxit ei, vt ſtatim ad domum eiúſdem ſe conferret, ac de re fieret certior. Paruit. Comperit illo Sacramento carere: id vbi accepit, ac fęminam eſſe moribundam, quanquam imminente meridie impranſus eò contendit, & illam commorantibus nonnullis ritè confirmauit: ac quòd vidit pauperrimam eſſe, ſtipem ei reliquit idoneam; quæ quoniam breui interijt, ad ſepulturę vſum fuit reſeruata. Ita, & animæ, & corpori vnà conſuluit. Iterum cum quidam Æthiops, qui equiſonem domi ſuæ agebat, ac prope ſtabulum habitabat, in grauem morbum incidiſſet, ex quo tandem interijt, intendentibus ſe acrius doloribus, quibus laborabat, inteſtinis, vocari iuſſit Parochũ, cui animi ſui maculas aperiret. Senſit id Archiepiſcopus, & feneſtellam eò ſpectantem aperuit,

ac

ac inde quæſiuit, quid rei illa intepeſtiua hora ageretur? eo accepto edixit, vt & viaticum ægroto præberetur. Reponente Parocho Indum eius Sacramenti capacem ſibi non videri, quòd nimium rudis, & adipalis eſſet: ſuggeſſit Archiepiſcopus: Iret, eumque inſtitueret, ac doceret quantum eſſet ad rem intelligendam ſatis. Ac ne moraretur, continuo é domo ad ſtabuli locum deſcendit, & ſequente Parocho domunculam Indi intrauit. Lecto illius aſſedit, ac illum cœpit blandé appellare, & ſubdocere, quæ opus erant ad Sacramentum illud percipiendum, &in quo articulo eſſet monuit: & comperto illum ſatis eſſe rationis compotem vocari iuſſit famulos, ac præſentibus præſcripſit, vt pararent quæ ad illud celebrandum munus erant neceſſaria: præcepitque Parocho vt ſe accingeret ad opus præſtandum. Ipſe primus templum contendit, & pulſari Campanas iuſſit, & collecta magna populi manu, quæ ardentes de more faces præferebat, ipſe Euchariſtiam comitatus eſt, & adfuit ſuſcipienti, eumque ſuo aſpectu recreauit, & opere confecto rediјt eodem habitu ad Eccleſiam. Interim in mentem venit quærere: An moribundus Sacramento Confirmationis eſſet antea initiatus? audiensq; non fuiſſe, ſtatim eum confirmauit, ac vt nullum deeſſet ſalutis præſidium, ſacrum oleum eidem ſuo hortatu petenti adhibuit, & ſuauiſſimis verbis ad ſalutem ſperandam accendit. Atque in his tota ferme nox elapſa

fuit:vix pauculis horis ad quieſcendum relictis. At ille non tam dormiendo, quàm inuigilando quieſcebat. Adminiſtrationem communium Sacramentorum propriam ſæpiùs efficere conabatur. Parochi partes agere ſolitus vltra Epiſcopalem curam ſtudio pietatis procedebat. In collatione Sacrorum ordinum magnis religionibus vtebatur. Iuris normas rité,ac ſeueré cuſtodire:examinare diligenter,de moribus ſedulò inquirere, de ſanguine illibato interrogare, de patrimonio, vel beneficio quærere,nihil præterire, eorum quæ vetera, & recentioraConcilia præſcribunt.Si qui viri Principes authoritatē ſuā,pro aliquo interponebant,cōmiter reſpondere ſolebat. Rem illam non eſſe gratiæ dandam humanæ,cùm pertineat ad Diuinam:atq; ita Religione incuſſa precantes inhibebat. Ita non niſi idoneos initiabat,& ſacra eò rité, dignéque adminiſtrabantur. Qua ille pietate ſuò tempore mirè felix fuit. Ac decebat ſanctum Epiſcopum habere ſanctos Sacerdotes. Cùm ſibi propoſuiſſet munus Archiepiſcopale accuraté gerere,integritatem profiteri maximam, voluit, vt ſe incorruptum ſeruaret:vt qui ſciret munera labefactare animi integritatem, & ſpecie officij concedi multa donantibus,qui gratitudinis nomine ad ea impetranda ab ijs,qui dona accipiunt,exigunt. Igitur his muneribus aditum omnem occluſit:cùmque ſæpé vt meritum, ac in ijs opulentis regionibus erat, tentaretur, inexpugnabilem ſeſe pręſtitit: adeò vt nimis ea in

re

re videretur Religioſus. Sed ille nihil nimis eſſe affirmabat, ac ſolebat dicere cæteras virtutes in occulto eſſe debere, ac poſſe. Integritatem palam fieri, ac foras emanare oportere. Conſtat à nemine, nullo in loco, nulla ratione, nulla ſpecie quicquã muneris, donive accepiſſe, idque præcipuè curabat eo tempore, quo Diœceſim ſuam viſitabat. Adeo, vt ſi quãdo eueniebat mitti ſibi à ſorore ſua aliquid pro itinere commodiùs ſuſcipiendo, vel conficiendo id nollet accipere, niſi ea illũ per litteras moneret, illud non gratis à ſe donari, ſed ſumptibus Archiepiſcopi emptum mitti. Aliter minimè recipiebat. In ijs refutandis nullius perſonæ, aut ſtatus, aut officij rationem habebat. Vicarius Generalis Ordinis Prędicatorum ei miſerat, neſcius eius Religionis ſeueræ, qua tenebatur, fiſcellam plenam pomis, folijs recẽtibus coopertam circiter duodecim. Prandebat ille, ac vt opportuniùs accederet munuſculum erat in ſecunda menſa. Ille igitur cùm vidiſſet, folia detraxit, & detexit poma, tum vnum digitis exceptum retinuit, cętera remiſit Vicario, dicens ſibi illud ſatis eſſe, qui bene valeret (erant quippè pro illa regione ſalubria) reliqua ſui cœnobij fratribus infirmis ſeruaret.

Canonicus ſuæ Eccleſiæ, & familiaris pyrum pręcox, quod intempeſtiuum erat, dono mittere voluit, ſed quòd eius ingenium norat, non eſt auſus rectà mittere: itaque virtutis ſpecie vſus, ſorori miſit, quæ offerret Archiepiſcopo fratri, exiſtimans

re-

retenturum. Sed nihil profecit;nam ille acceptum de manu ſororis pomum naſo admouit,ac odoratus reddidit illud ſorori, quòd diceret ſufficere olfeciſſe. Prorex Ludouicus Velaſcus die ſancto Paſchatis ſolemne inſtituit conuiuium, ad quod miniſtros Regios vocauit, é magna ferculorum copia, ſelecta quinque de menſa Archiepiſcopo comitatu ſplendido pro mittentis dignitate domum miſit. Turbatus eſt vehementer viſo munere; totidem aſpides eſſe credidit. Propé erat, vt ſolita ſeueritate rigeret. Interceſſere tamen qui ſecum aderant viri grauiſſimi, ſuggerentes iniuriam fieri Proregi, & populum commoueri in repulſa vrbaniſſimi doni. Vix ſibi temperauit. Demum ita conuenit cum portantibus ſe quidem accepturum duabus cōditionibus. Prima ſe nihil ex ijs ferculis eſurum. Secunda ſibi liciturum aliud ſimile munus Proregi mittere. Adiecit, ne faſtidioſus videretur, ſibi non licere quicquam ijs diebus à quoquam accipere, quòd erant dies viſitationis. Æqué audiuit, & accepit conditiones Prorex, vir & vrbanus, & integer; & probauit hominis integritatem, à qua ipſe non erat alienus. Maioris ſunt illa certé momenti. Quæcumque expediebat Diplomata, quæcumque acta conficiebat, illis id clauſulę adponebat. *Hoc eſto ad laudem Dei, conſcientiæ meæ ſpecimen, & Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem.* Poſt ſubſcriptionem adſcribebat *gratis*; quo ſignificabat, nihil lucelli ad ſe redire pati. Excipiebat tamen ad terrorem cenſuras, quibus iuſtas impone-

bat pœnas pecuniarias. Verùm vt ſe incorruptum oſtenderet, ſummas in thecam publicam, quæ erat in Eccleſia, mitti iubebat, ac in Miſſas pro Defunctis rectè impendi curabat. Ac vt obiter hoc dicã: inter nonnullas ſcripturas poſt illius obitum in tabulario repertas, vna inuenta fuit huiuſmodi: Se neminem voluiſſe vnquam à ſacris excommunicando arcere: tantùm ſpecie vſum excommunicationis, vt terrorem incuteret peccantibus. Si quæ in iudicijs multæ reis irrogabantur, ijs abſtinebat, nec in Cameram venire ſinebat. Dimidiam partem pijs operibus aſſignabat, alteram dimidiam eleemoſynis occultis reſeruabat. Eius indolis conſcij multati ad eũ ventitare, rogare ne ſe vellet grauare, pauperes eſſe, vel egenos habere cõſãguineos; ijs aſſignare dignaretur ſummam cõſtitutam, quibus ille libenter annuebat. Sacerdos reus ingentis ſummę cùm ad Archiepiſcopum eam attuliſſet, ac oblatam expoſuiſſet, accedens ad pedes eius orauit, vt per ipſum liceret eam ſororibus ſuis duabus in Hiſpaniam mittere, quibus eam iam pridem comparaſſet, deſtinaſſetque, quod orbę relictæ fuerant. Miſeratus ſortem Archiepiſcopus, vocari iuſſit Vincentium Rodericum ab eleemoſynis, & illam ſummam ei tradidit, ea lege, vt eam citò, ac tutó illis fęminis per ſyngraphas remitteret. Quod ille fideliter eſt executus, & de eo reſponſionem publicam accepit, cum litteris ſororum ad Archiepiſcopum, quibus gratias agebant pro eleemoſynis, quæ dotis

loco

loco vtrique fuit,qua duobus viris nobilibus nupſerunt: idque beneficium acceptum Archiepiſcopo referebant.

Didacus quidam Fernandius honeſtus ciuis Prorætor Caxatambi graue crimen admiſerat, ac eo ducentorum pondo multam ſubijt. Procraſtinauit is, vt comperendinatus differret ſolutionem, donec die dicta coactus eſt ſoluere. Cùm vidiſſet ſe ad incitas redactum, nec poſſet tergiuerſari, ſtatuit Archiepiſcopum pietate commouere. Dixit duas ſibi eſſe filias nubiles, atque adeó illa ſe pecunia indigere. Verùm quod crimen fuerat graue,& procraſtinatio iniuſta, & illa ſumma iam erat aſſignata Eccleſijs,non potuit ab eius ſummæ repræſentatione liberari. Itaq;ſoluit. Verum alté impreſſa manſit illa neceſſitas in mente condemnantis: ac proinde alia ducenta pondo de ſuo reo donauit, vt filiabus conſuleret. Parocho cuidam homini opulento Caxamarquillæ oppidi Alphonſo Roderico Bonifacio ob grauius delictum ſoluenda erat ingens ſumma, ſcilicet pondo argenti mille, & vaccæ mille,& quadringentę equæ,decem pulli, centum quinquaginta muli,eam cum ille exhibuiſſet, eandem Archiepiſcopus recipi iuſſam eiuſdem Parochi Patri, qui abundante filio egenus erat addixit. Eó fortaſſe motus exemplo nobilis alter Parochus, qui in ijs regionibus plurimum valent, pollentque reus damni dati effectus multatus eſt ducentis pondo argenti, cumque ad Archiepiſco-

pum ea detuliſſet, animaduertit ſibi patrem eſſe, ac poſtulare, vt ſibi liceret ijs eum ſenem iam ac propé decrepitum iuuare. Statim voti conpos factus domum redijt, & Patri nomine Toribij dóno dedit. Eum ſenem tradunt hiſtoriæ Ioannem Baptiſtam Nanum appellatũ: quæ res me ſcribentem remorata eſt, quemadmodum ſupra aliud nomen Sagredi detinuit, commemorantem ea nomina eſſe Veneta, ac é primarijs ſumpta familijs: quarum etiam eſt Nannia, quæ cum ſit ſatis per ſe clara, & ſplendida hodie cum hæc ſcribo ingens lumen accepit ab Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Domino Baptiſta Nannio Equite, & Procuratore S. Marci viro ſummo, & pręclaris dotibus ornato, acri ingenio, & maturo iudicio eximia pietate multiplici litteratura, legationibus obitis celebri, qui libro de Venetis rebus ſui temporis ornatiſſimo in lucem edito, memorabili, & alio iam de bello Cretico recenti inchoato, ſingularem inter ſcriptores laudem promeruit, promerebitque magna cum expectaióne dignitatis, quæ inita cum Duce Veneto Contareno matrimonij nuper celebrati interuenu affinitate, in maius creuit, & in nouum Nanniæ familiæ incrementũ redundauit. Qua ratione iſta nomina ingentia Venetorum in ijs hiſtorijs intexantur, non conſtat. Mihi perſuaſum eſt Venetam gentem, cuius proprium fuit ſacras expeditiones Fidei, & vindicandæ, & amplificãdæ cauſa terra, marique ſuſcipere, quemadmodum ex

illis quæ ad Chriſti Sepulchrum, & Aſiam à Turcarum tyrannide liberandam ſuſceperunt apparet, cùm accepiſſet Hiſpanos ea de cauſa Americam nauigare, ſuſcepto ſtudio aliquos viros primarios eò miſiſſe: niſi ſi ipſi qui fortaſſe tunc in Hiſpanijs Rei publicæ aut priuatæ cauſa verſabantur ſponte ſua eò concurrerunt. Certè id Venetorum dandum eſt gloriæ: multas ab ijs ſolis, & ſuſceptas, & confectas expeditiones fuiſſe, nullam ab alijs gẽtibus ſuſceptam, cui ipſi non interfuiſſent.

CAPVT XXI.

Quanta fuerit Toribii in adminiſtranda Eccleſia, & peritia, & prudentia.

QVam à puero doctrinam accepit, eius ſemper & memor, & tenax fuit: quòd nunquam ſtudia intermiſit, eamquè ad vſum reduxit: addita ſcientiæ experientia, quæ duo coniuncta perfectum Doctorem reddunt. Iuuabat fidelis rerum cuſtos memoria, quæ in eo tanta extitit: vt ſint idonei teſtes, qui affirment eum totum ius Canonicum, & Concilium Tridentinum memoria complexum eſſe, & magnas eorum partes memoriter recitare ſolitum: idque conſtare ex eo quòd in conſultationibus, & iudicijs tum domeſticis, tum forenſibus, vt quæque ſe offerebat controuer-

ſia,

ſia, ita ille textum aptum proferebat tam ſcitè, vt dedita opera illum quæſijſſe videretur; qua de re teſtantur nō pauci eorum, qui ijs cauſis intererant. Tridentini Concilij volumen paruum ſecum ſemper tuliſse aiunt quidam : quaſi comitem indiuiduum, & teſtem ſuæ doctrinę, quam eiuſdem locis confirmabat. Par propè erat ſcientia iuris ciuilis, quæ nixa cum Canonico eſſe debet, vt altera iuuet, & tueatur alteram: atq; adeo Fibulæ doctrinæ iuridicæ appellentur. Itaque illius reſponſa oracula doctis erant. Conciones ſacras teſtimonijs Sacrarum litterarum, & SS. Patrum ſententijs diſtinguebat; nihil ab eo ſine textu in cauſis, ſine ſcripturæ loco in concionibus, probatum. Prudentia comitabatur ſcientiam, eamque condimentum doctrinæ dicebat. Clauum appellare ſolitus nauis Eccleſiæ. Periclitari abſque prudentia ſæpe doctrinam, quòd ea opinione inflata ventos cieret arrogantię, ac tempeſtates moueret: itaque gubernandam clauo adhibito, & moderandum curſum ne præceps eſſet. Dubitando plerunque verum inueniri. Nihil eſſe tam certum quod conſultatione non indigeat. Altum nauigando tenere, tutum; altū ſapere docendo periculoſū: id ille: experimēta docuit: nam cùm eſſet doctiſſimus, ac multa poſſet iudicio definire ſuo, noluit ſibi fidere, ſed Sedis Apoſtolicæ oraculum conſulere. Ac operæ pretium duco, multa, de quibus dubitauit, & remiſit ad eam, afferre, vt appareat quantæ prudentiæ in

ogando fuerit: & quàm ſedulus, ac circunſpectus n dubitando. Ordinem ſeruabo, quem tenuit deſcribendo.

Pontifice Gregorio XIII. has quæſtiones Romã ventilãdas miſit: etſi litteras eo iam mortuo ſedente Sixto V. peruenerint. Anno 1586. A quo recognitum miſſæ ſunt ad Sacram Concilij Congregationem, vt ibi deciderentur.

Prima: Vtrum Conciliũ Prouinciale poſſit cognoſcere de cauſis, quæ nouæ, ac in prima, vt aiunt, nſtantia ad ſuffraganeos ſunt delatæ? Ei reſponſum: non poſſe niſi in caſibus à iure expreſſis. Cæterum de alijs etiam à iure, & Decretis Concilij Tridentini reſeruatis, tum ciuilibus, tum criminalibus perſpicuis, & breuibus, & de alijs etiam quæ ſpecialibus Decretis Canonicis ad Prouinciale Concilium remiſſæ ſunt.

Secunda: vtrum in cauſis pendentibus coram Epiſcopis, & horum Vicarijs detur appellatio ad Prouinciale omiſſa inſtantia Archiepiſcopi? Reſponſum eſt dari.

Tertia, an liceat Concilio aduocare ad ſe cauſas coram Archiepiſcopo pendentes? Reſponſum vti ad primam.

Quarta, liceatne, ac valeat appellatio ab Archiepiſcopo ad Conciliũ, vel neceſſe ſit appellari ad Papam. Reſponſum, & ad Papam, & ad Concilium fieri, & valere appellationem.

Quinta. An poſſit quis à Concilio appellare ad

Ar-

Archiepiſcopum, ac eius Vicarium generalem? Reſponſum,non poſſe.

Sexta. Licitum ne ſit Archiepiſcopo ſoli, iuſtis exiſtentibus Concilij celebrandi cauſis, illud propria auctoritate conuocare? Reſponſum, ſine conſenſu Epiſcoporum minimè licitum eſſe.

Septima. Vtrum Archiepiſcopus tanquam caput, & præſes Concilij poſſit in eo nemine impediente ſilentium indicere, & decernere, vt acta, & ſcripturæ afferantur, quas velit, vel auferantur, vel oblatę in alium diem differantur? quod ſi quis ex Epiſcopis præſentibus in Concilio repugnauerit his ab eodem conſtitutis, vel eum contempſerit, & minus comiter habuerit, is ab eo corripi, & puniri poſſit? Reſponſum, quod attinet ad ſilentium indicendum, & ſtrepitus, & tumultus coercẽdos licere quidem Archiepiſcopo quatenus id fiat imperare; cætera non poſſe ſine conſenſu reliquorum præſtare.

Octaua. An Archiepiſcopus poſſit procedere obligãdo cenſuris, & pęnis Epiſcopos, qui vſurparint iuriſdictionẽ in Concilio, vel extra illud, intrudendo ſe in cauſas ſui Tribunalis? Reſponſum non poſſe, quando ille Epiſcopus non fuerit de Concilio ſecundum ſtatuta Canonum.

Nona. Liceat ne Concilio negotia, vel ſuſpenſa, vel infecta in eodem iudicibus, vel perſonis priuatis ad conficiendum committere? Reſponſum,

non

non licere niſi in caſibus à Tridentino contentis, vel in iure expreſſis.

Decima vtrum licitum ſit appellare ab ijs iudicibus, qui proximè cognouerant deciderant eas cauſas? Reſponſum pro eo ad Primatem, vel Patriarcham, vel Papam recurrendum.

Vndecima. An poſſit Concilium ſuſcipere proceſſum, & acta contra aliquem Epiſcopum ſuſpenſum, & accuſatum de grauibus delictis eo animo, vt res comperta remittatur ad Papam? Reſponſum poſſe, dummodo acta confecta Papæ mittantur, eique iudicium reſeruetur.

Duodecima. Si Deputati ad cognoſcendas cauſas minores criminales Epiſcoporum, de quibus permiſſa eſt iuxta Tridentinum cognitio Patribus Concilij Prouincialis, vel iudicibus ab eo deputatis Epiſcopi eſſe debeant, nec ne? Reſponſum ob dignitatem Epiſcopalem eiuſmodi eſſe debere, vt Epiſcopi ab Epiſcopis iudicentur, verùm ſi aliud oportere videatur Concilio, licere deputari alios non Epiſcopos.

Decima tertia. Vtrum hi Deputati ad cauſas Epiſcoporum confecto, & dimiſſo Concilio de iis queant cognoſcere? Reſponſum poſse.

Decima quarta. Poſſint ne cauſæ minores Criminales Epiſcoporum iudicari in eo conſeſſu, cui deſit numerus iuſtus duodecim iudicum à iure requiſitus? Reſponſum eſt. Poſſe.

Decima quinta. An penes Metropolitanum

ſit poteſtas cognoſcendi de cauſis ciuilibus Epiſcoporum? Eſse, quando vnus Epiſcopus agit contra alium, nec ſubditus contra Epiſcopum. In reliquis euentibus non eſſe, niſi exprimantur in iure.

Decima ſexta. Vtrum Conciliũ poſſit de cauſis ciuilibus Archiepiſcopi cognoſcere? Reſponſum nequaquam poſse.

Decima ſeptima. Sit ne licitum Concilio cognoſcere cauſas minores Criminales Archiepiſcopi? Ac dato licitum eſſe an poſteà procedere ad correctionem charitatiuam? Reſponſum, licitum eſſe tantùm denuntiationem, eamq; cum aliquo actu informationis extraiudicialis.

Decima octaua; ſit ne in poteſtate Concilij punire Prouiſorem, vel Vicarium generalem, & contra ipſos procedere in cauſis criminalibus? Reſponſum eſt eſſe.

Decima nona. Vtrum ſit de iure Concilij ſuſpendere ex aliqua cauſa viſitatores ſuffraganeorum vſque ad finem? Reſponſum non eſſe: loquendo de ijs, qui viſitant impeditis Epiſcopis legitima interueniente cauſa à viſitando per ſe ipſos.

Vigeſima. Quoniam habetur in Concilio Tridentino Archiepiſcopum poſtea viſitare Suffraganeos cognita cauſa in Prouinciali Concilio, vtrum opus ſit prẹmittere examen cauſarum idonearum, & an Epiſcopus citari, & audiri prius debeat in Concilio? An ſufficiat indicere viſitationem ante querelã, vel accuſationem Epi-

ſcopi, vel perſonarũ Dięceſis, non aſſiſtentibus Epiſcopis? Reſp. neceſſe eſſe audiri Epiſcopũ, & conſequenter oportere pręmitti examẽ cauſarũ ad faciẽdam eiuſmodi viſitationem, & iuridicè probari.

Vigeſima prima. An liceat Epiſcopis viſitare, corrigere, punire Religioſos præceptores Indorum ſi delinquant in moribus, & adminiſtratione Sacramentorum? Et quomodo intelligendum ſit Decretũ Tridentini ſtatuens, vt Religioſi degentes extra clauſtra poſſint ab Ordinario corrigi, & puniri? Præterea an hi Religioſi Indorum Magiſtri poſſint remoueri à ſuis Superioribus ſine licentia Epiſcopi? Reſpondetur, quoad primum licere corrigi, & caſtigari: quoad ſecundum eos iudicandos tanquam degentes extra clauſtra: quoad tertium non poſſe remoueri à Superiori inconſulto Epiſcopo, qui alios debeat, poſsetque ſummitere.

Vigeſima ſecunda. Vtrum eiuſmodi Religioſi electi ab Epiſcopo ad Indos inſtruendos, & erudiendos debeant examinati ab examinatoribus, ſynodalibus, ſimul aſſiſtente Ordinario, vel à ſolo ordinario Epiſcopo? Reſponſum ab ordinario Epiſcopo examinandos.

Vigeſima tertia. An ſit reuocata Bulla, vel motus proprius Pij V. piæ memoriæ conceſſa ad inſtantiam Regis Catholici, vt Religioſi electi ad miniſtranda Indis Sacramenta exempti ſint ab examine Epiſcopi in concurſu alterius Bullę Gregorij XIII. qua confirmantur priuilegia ordinum

Mendicantium quatenus non ſint contraria Tridentino, ac proinde cùm exemptio ab examine ſit contra Concilium dubium eſt vtra Bulla teneri debeat? Reſponſum: Bullam Pij V. eſſe reuocatam, atque adeo Religioſos illius examini ſubijciendos iuxta decretum Concilij.

Vigeſima quarta. Vtrum liceat ingredi in monaſteria Monialium homines, & perſonas laicas cauſa importandi victum, & veſtes, ligna, & reliqua vtenſilia: & ſartorem ad veſtitus componendos, & hortulanum ad hortum excolendum, & lanium ad boues, & arietes occidendos? Præterea poſſint ne moniales admittere mulieres laicas, quæ egredi clauſtris nequeant pro ſeruitio Profeſſarum? Reſponſum licere illis hominibus pro obeundis ijs, quæ non poſſunt decenter obiri à Sanctimonialibus, nec ſolent extra monaſterium præſtari. Quoad fœminas tamen non licere Monialibus illas intra clauſtra ſecum habere.

Vigeſima quinta. Vtrum permitti poſſit ingreſſus in eadem monaſteria fæminę ſeculari, nobili, vel ignobili, cui opus ſit ad euadendam mortem in locum tutum confugere, & ibi pernoctare? Reſponſum cum arbitrio Epiſcopi bene poſse, cuius erit iuxta conſcientiæ ſuę dictamen prouidere.

Vigeſima ſexta. An poſſit Monacha, ante annos profeſſionis acquiſitos à Concilio Tridentiuo eligi Abbatiſſa, vel Prioriſsa in caſu, quo nulla ſit quæ iuſtos annos illos habeat, neq; ſit aliud mona-

ſte-

ſterium vnde peti queat? Reſponſum. Alterius ordinis non licere eſse; itaque ex eodem monaſterio eligendam, quæ habeat annos triginta exactos, & ſit vtcumque profeſsa.

Vigeſimaſeptima. Si intra monaſterium non inueniatur monacha, quæ fruatur ætate, profeſſione, conditionibus à Concilio Tridentino regiſtratis ad fungendum munus Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ, aut nullum ſit aliud, vnde ſumi poſſit cœnobium, vti accidit in Chile Prouincia, vtrum eligenda ſit ea, quæ videatur magis idonea, quamvis careat ijs prerogatiuis enumeratis: & an ſit opus ad hoc licẽtia Suæ Sanctitatis? Reſponſum, oportere recurrere ad ſanctitatem Papæ, vt is committat Ordinario poteſtatem magis idoneam, & quæ minùs diſtet ab enumeratis prerogatiuis.

Vigeſimaoctaua, Vtrum Monachæ priuatæ poſſint habere reditus, aut cenſus pecuniarios, vel ſimilia legata relicta à ſuis conſanguineis, & affinibus, aut benemeritis? Reſponſum non poſſe. Sed quodcumque huiuſmodi ad eas veniat, id omne Abbatiſſæ tradendum, cuius erit prouidere in primis eius monialis neceſſitatibus.

Vigeſima nona. Viſitatoribus Monialium licitum ne ſit intrare ea de cauſa in Monaſteria ſine examine vrgentis, & grauis cauſæ? Reſponſum, licitum eſſe ex aliqua cauſa.

Trigeſima cauſa. Vtrum Epiſcopus alienæ Diœceſeos poſſit celebrare, & conferre Ordines in cœ-

nobijs Fratrum inuito Epiſcopo propriæ Diœceſis Ordinario. Si tamen cœnobium habeat facultatē à Sede Apoſtolica ibi Ordines celebrandi, & conferendi? Reſponſum, non poſſe.

Trigeſima prima. An poſſit Archiepiſcopus abſoluere excommunicatos, qui comparent in gradu appellationis, non inſpectis actis, nec cautione data pro iuris ſtatione? & an caput quartum de reformatione, ſeſſ. 13. quicquam in hoc caſu diſponat? Reſponſum, poſſe quidem ad cautelam, inſpectis tamen actibus, in quo fundet ſuam iuriſdictionem, tametſi non cognoſcat de cauſa principali. Deciſiué tamen non poſſe, niſi priùs inſpectis actis primæ inſtantiæ, idque in eo loco Concilij contineri.

Trigeſima ſecunda. Contribuere ne debeant ad ſeminaria Eccleſiaſtica omnes dignitates, & beneficiati patronatus Regij, & aliorum ſæcularium? Reſponſum, omninò debere.

Trigeſima tertia. Vtrum conueniat populum ad Miſſam concurrentem, eique aſſiſtentem ſedere, quando canitur Gloria, & Credo? & in alijs locis Miſſæ relatis in Miſſali, ſeruata conſuetudine? Item an in reliquis partibus Miſſæ debeat genuflectere, & ita perſeuerare? Reſponſum, conſulendum eſſe rubricas Miſſalis, & laudabiles conſuetudines.

Trigeſima quarta. An in vltima Collecta poſſit dici, canive: *Et famulos tuos Papam, Regem, Reginam, & Principes noſtros cuſtodi?* Reſponſum: Hoc conceſſum eſse à Papa Sixto V. fel. record.

Tri-

Trigeſima quinta: Vtrum virtute Breuis pro illis Regionibus expediti, vt Indi abſolui queant ab omnibus caſibus, quocumque modo ſint, reſeruatis ad Papam, & omnibus item cenſuris, & caſibus Bullæ Cœnæ, quod quidem Breue eſt Pauli III. deque eo fit mentio in Bulla Cruciatæ, poſſint Epiſcopi, & Archiepiſcopi, & qui ab ijs deputentur, abſoluere Indos ab Idololatrijs? Præterea vtrum virtute eiuſdem idem poſſint Rectores, & Parochi Indorum, eo nomine, quòd ſunt Rectores citra deſtinationem Epiſcopi, & ſine mentione facultatis ſupradictæ caſu quo deſtinentur? & an ſit neceſse in data facultate exprimere Idololatrias? Reſponſum. Poſse quidem abſolui per hos Epiſcopos, & per alios ab ijs deputatos. Cætera non ſunt expreſsa in reſponſione.

Trigeſima ſexta. An Epiſcopi, & Archiepiſcopi, ſi incurrant ipſimet in eos caſus reſeruatos ſuſpenſiones, & irregularitates, poſſint alteri Sacerdoti vicem ſuam, & authoritatem dare vt ſe ipſos ab ijs abſoluant: quandoquidem in ea Bulla ſit poteſtas abſoluendi à Caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, & contentis in Bulla Cœnæ, & ſuſpenſionibus, & irregularitatibus, ac in ijs diſpenſandi: vnde ratio orta dubitandi? Ad hunc caſum nulla extat data reſponſio.

Trigeſima octaua. Suppoſito iuberi decreto Tridentini Concilij cap. 2. de Reformat. ſeſſ. 21. vt notarij pro quolibet titulo ordinis ſolùm exigant

decimam partem Ducati: quæritur, vtrum in ijs partibus vbi res ſunt cariores, poſſint ijdem notarij aliquid amplius exigere, & accipere? Reſponſum poſse quintam partem permiſſu Sixti V. Sanctæ memoriæ ita diſponentis. Habemus conſulta. Ex quibus apparet, quàm ille ſubtilis, & religioſus fuerit in examinandis controuerſijs Eccleſiaſticis, & quàm prudens in conſultando. Quæ prudentia in communem illarum Eccleſiarum redundauit vtilitatem. Apud quas ea reſponſa pro normis, & regulis habentur. Quanquam aliqui Epiſcopi, eorumque Vicarij de nonnullis poſtea quæſtiones excitarint, nec eis omnino acquieuerint, maior tamen illorum pars ijs omnibus adhæſit, ac ſecundum ea reſponſa Rem Eccleſiaſticam adminiſtrarunt. Vnum exemplo eſt documentum. Archiepiſcopus Manilenſis anno 1626. vigeſimum tertiũ reſponſum in ea, quæ difficilior videtur controuerſia, eſt amplexus, quod item probauit Cardinalis à Turribus, & decreto Regij Conſilij confirmauit, vt in legem etiam pro quiete Regionũ tranſiret. Id quoque conſtat, quoties circa ob ſeruationem decretorum dubia emerſerunt, ſemper Conſilium Regium Indiarum ſecutum fuiſſe huiuſmodi reſponſionum doctrinam. De his latè, ac erudité Ioannes Solorzano Pereyra, de gubernat. Indiar. & de Polit. Ind. Eques S. Iacobi à Conſilijs Regijs Indiarum, & ſupremi Caſtellę, vir multæ ac variæ, ac profundæ litteraturæ, quem ego cha-

rum

rũ habui Madritti cũ eos libros ſcriberet, in quos & iura, & ſtatuta, & geſta Indiarum coniecit, quibus ingentem ſibi, ac Patriæ gloriam peperit, cui meis ego aliquando laudibus ad famam colligendam aliquid auræ afflaui.

CAPVT XXII.

De obſeruantia erga Romanos Pontifices, & horum erga ipſum beneuolentia.

SEdis Apoſtolicæ dignitatis, & authoritatis, acer, & conſtans defenſor extitit. Apparet id primùm ex controuerſijs inter ipſum, & Proregem Marchionem Cagnetium de iure Eccleſiaſtico exortis, in quibus tam ſe ſtrenuè geſſit, vt neque potentiæ Proregis, nec minis miniſtrorum ceſſerit, nec reprehenſiones regias curarit: imo, & contentiones cum gratioſiſſimis hominibus ſuſceperit, ea que magna cum moleſtia, & incommodo ſuſtinuerit, paratus, vti palam dixit, pro iure Pontificio ſanguinem fundere. Hinc illud ſtudium eam perpetuo conſulendi, tum occaſione oblata, de qua ſuo loco diximus, Conciliorum, tum capta, quæſtionum, quas proximé commemorauimus, in quibus oracula Sedis Apoſtolicæ requiſiuit. Hinc illa reuerentia erga Diplomata, & Bullas Pontificias, quarum aliquas obtinuit; ita quippe illas, & petebat, & accipiebat, quáſi de cœlo lapſas

exiſtimaret. Quemadmodum cum de ijs ſigillatim dixerimus patebit. Habitabat longiſſimè Roma, verum illam diſtantiam amoris affectu auferebat. Intra cor eius Roma habitabat, & mente intra illam verſabatur. Diſtantia eò proficiebat, vt maior eſſet é longinquo reuerentia: omnes ceremonias, omnes ritus Romanos in numerato habebat, à nullo diſcrepabat. Qui eò Roma veniret ſolum deſideraret & templum, & ſacra Limæ inueniret. Adhærebat Petræ in tanta maris vaſtitate, & in ſuam nauim Clauum Pontificium admittebat, eoque illam ad ſalutis portum dirigebat. Piſcatoris rete tanquam piſcis intrabat, ſeque ibi piſcatorem eſſe monſtrabat. Expiſcatus animas, quas in ſua minora retia immitteret ſignata Annulo Piſcatoris Maximi. Ex Pontificibus agnouit primum Gregoriũ XIII. A quo accepit litteras confirmationis in Archiepiſcopatu Limenſi. Eum ſumma reuerentia conſuluit in dubijs ſpectantibus ad ea quæ celebrauit Concilia, vti ſcripſimus, & in alijs, quæ modò commemorauimus. Ab eodem petijt diploma diſpenſandi in celebratione Conciliorum, vt per ſingula ſeptennia cogerentur, & aliud veniendi ad linima Apoſtolorum per tertiam perſonam, quanquam id iam aliás ante fuiſſet ei à Sede Apoſtolica conceſſum: imo, & declaratum exceptione diſtantiæ longiſſimæ, cui illud onus haud eſſet imponendum. Alter quo cum per litteras egit Sixtus V. fuit, a quo quia mortuus erat

Gregor. XIII. reſponſa pro conſultis accepit. Hunc item mirè obſeruauit, & coluit. Is ab eo Romam tranſmiſſa acta accepit primi, quod Limæ celebrauit Concilij, quæ ab eodem ſunt Sixto approbata, quemadmodum, & fertur in litteris miſſis à Toribio ad Papam Clementem VIII. Eidem rationem exactam per litteras reddidit ſui in adminiſtranda, & luſtranda Dioeceſi officij, quód audiſſet Sixtum religionum eſſe imprimis amantem, & obſeruantem. Tertium Gregorium XIV. & ſępè conſuluit, & rogauit, vt ſibi gratiam faceret remittendi peregrinationem, & itionem Romam, quanquam eo nexu tot impetratis Pontificijs diplomatis debet exiſteret. Nactus occaſionem reditus Romam P. Didaci à Zuniga Ieſuitæ qui ex Hiſpania venerat viſitandi eas Societatis Prouincias gratia, eum orauit, vellet ſuſcipere prouinciam adeundi nomine ſuo ad Gregorium, eique ſolemnem illam obedientiam præſtandi: quam ille libenter ſuſcepit, geſſitque magna Pontificis voluptate: qui eũ fama anté nouerat, & tunc per expreſſa litteris ſigna planè cognouit, quibus beneuolé reſpondit, quemadmodum ſuo poſtea loco dicemus. Iiſdem functus eſt officijs apud Clementem Octauum, ad quem frequenter ſuper Eccleſiæ ſuæ negotijs litteras miſit, ac ei ſe multis, & magnis amoris, & beneuolentiæ ſignis inſinuauit, eiuſque gratiam collegit: vt videre eſt in epiſtola, quam Clementi ſcripſit, in qua commemorat ſua in Prouincijs illis pro cura, &

ſalute animarum geſtaq; commemoratio: quod ſit ſubtiliter, & accuraté facta, quanta eſſet apud Pontificem fidentia ac prope familiaritas declarat: verſabatur in mente, Summi Pontificatus imago plena dignitatis, plena authoritatis, & quaſi coram illa ambularet, omnia ad illius aſpectum dicta, & facta accommodabat, vt nihil ſentiret, diceret, faceretque, quod ab illa præſentia alienum foret. His promeruit vt omnes hi Pontifices, ei tum beneuolentia, tum officio reſponderent. Extant ſignificationes. Accepitiſſima fuit eius electio Gregorio XIII. qui eum ingenti cum laude confirmauit. Ei iam Archiepiſcopo idem Pontifex conceſſit, vt liceret Prouincialia Concilia ſingulis ſeptennijs, Synodalia ſingulis biennijs cogere, dum viueret. Itaque tria illa Prouincialia, ſynodalia tredecim coegit. Eiuſdem Gregorij eſt primum quod accepit diploma, quo fiebat poteſtas adeundi Limina Apoſtolorum per interpoſitam perſonam. Sixtus V. præclarum ei ſapientiæ, ac prudentiæ teſtimonium dedit, cum ad eius conſulta reſpondit: virtutis verò, cum eius Religionẽ per litteras ſuo nomine à Cardin. Caraffa ſcriptas capta de ſcrupulo viſitationis per alteram perſonam occaſione laudauit. Sed illud memorabile, quod in litteris ab eodẽ Cardinali ad eundem de mandato Sixti datis poſt acceptum exẽplar Tertij Concilij habetur particula. *Et niſi nobis tua in iſto paſtorali officio prudentia, & aſſiduitas ſatis perſpecta eſſet, iſtum tibi nouum gregem multa cura indigen-*

tem pluribus verbis commẽdaremus; quod tamen breui facimus, non quia opus eſſe exiſtimemus, ſed vt noſtram erga recentes ipſos veræ fidei, & religionis alumnos ſtudium, & charitatem oſtendamus. Gregorij XIV. præclaram de eo exiſtimationem continent illa verba dicta P. Didaco Zuniga Ieſuitæ illarum Prouinciarum Procuratori: cum ſui muneris cauſa Romam veniſſet, & eiuſdem nomine iſtius Pontificis pedes oſcularetur. Huic enim id munus fungenti Papa audito, qualis ille, & quantus eſſet Paſtor, cùm arriſiſſet, exclamauit: *Benedictus Deus, qui vbique regnat, & vbique miniſtros ſuos regnare facit.* Poſtea amore in illum ductus iuſſit ſcribi eidem Epiſtolã, quę plena eſt ſignificationibus officioſis: quam operæ pretium duco exhibere: ſicuti conſeruatur Hiſpano reddita idiomate in Theatro Limenſi Fratris Didaci à Corduba, ac eiuſmodi eſt.

Gregorius Papa XIV. Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Rediens Romam dilectus filius Didacus à Zuniga Societatis Ieſu Procurator prouinciæ Peruanæ in iſtis regionibus, me nomine tuo ritè ac demiſſe ſalutauit, ac inter oſcula pedum multa narrauit de tua ſingulari in Deum pietate, erga Sedem Apoſtolicam ſtudio, & obſeruantia, noſq; affectu, & reuerentia: ac expoſuit diligentiam, ac ſolicitudinem, quam adhibes in procuranda ſalute tui gregis, cui omni te ratione, ac modo conſulere pro paſtoris officio confirmauit. Glorificamus ob id Deum Dominum noſtrum, qui vbique viuit, & regnat, à quo petimus inſpirari pro ſua miſericordia dignetur miniſtris, & operarÿs Euangelÿ, vt muneribus ſuis ſatisfaciant, & ſedulò in hac ſpirituali vinea laborent, & fructus afferant in patientia. Equidem gratias ago Deo, qui per ſuam miſericordiam regenerauit nos in ſpem viuam, vt poſſimus capitis; & protectoris ſuarum creaturarum officium gerere, quando ab eo in hac ſpecula Paſtorali conſtituti ſumus, eique placere ac ſeruire cuius eſt honor, &

glo-

gloria in ſecula ſeculorum. Gratias tibi maximas ago pro ardenti ſtudio, quo teneris Deo inſeruiendi, & pro animo, quo ſuſcipis pericula, ac ſubis difficultates, quæ occurrunt in adminiſtratione vaſtiſſimi Archiepiſcopatus, & pro cura exhibita in doctrina præſtanda, quibus, tum in Concilijs, & ſynodis in Eccleſia, tum extra in viſitationibus continuis Diœceſeos perſonalibus. Quæ ſanè præclara opera non mihi ſolùm ſolatio, & exemplo humilitatis, & patientiæ, & charitatis fuerunt, ſed etiam toti Eccleſiæ grata, & mirabilia viſa ſunt, ac magnam tibi apud homines exiſtimationem, & apud Deum, quod caput eſt, gloriam conciliarunt. Gratulor porrò mihi, quòd meo tempore in hoc Pontificatu, quem Dei beneficio gero talem ſim nactus Miniſtrum, cui pares multos eſſe optamus, qui ex officio, ac ritè rem Eccleſiaſticam obeat, noſq; in hoc fidelium regendo grege ſtrenuè, ac diligenter iuuet. Quantum nos te & amemus, & quanti faciamus, quamq; te paternè in Chriſti viſceribus habeamus, ac de tua & ſalute corporis & animi virtute lætemur, noſtro nomine exponet dilectus noſter filius Didacus de Zugniga. Quem & omnes ſocios eius aliosq; qui in animarum cultu, & directione ad ſalutem laborant, teq; in primis Deo Domino noſtro commendamus, omnibuſq; benedictionem noſtram ex hac ſancta, & Apoſtolica Sede impartimur. Orantes Deum, vt & in hac vita tui laudabilis laboris gratiam pariant, & in futura beatitatem. Amen. Datum Romæ in ſacro Palatio 17. Maij 1591. Pontif. noſtri anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Cum Clemente Octauo maior illa epiſtolarum & frequentior communicatio fuit. Inter alia amoris, & fiduciæ argumenta (nam de litteris ſilere volo) huius erga ipſum Pontificis illa prærogatiua eminet, cuius participem fecit Toribium, poteſtatis benedicendi quatuor millia Roſariorum, & icuncularum ſacrarum ad comparandas indulgentias, quæ propria Summi Pontificis facultas eſt. Nā Toribius tanti fecit, vt cum lacrymis venerabundus acceperit, & cùm exercuit demiſſionem animi

tan-

tantam præ ſe tulit, vt omnes verecundiam ex rubore vultus, & tremore corporis colligerent, & quidem cùm omnibus charus fuerit, nemini carior quàm Clementi, forté quia ad eum ſcribebat fidentius, & diligentius ſua in adminiſtratione Eccleſiæ geſta narrabat: quæ narratio non poterat non animum illius Sanctiſſimi Pontificis ad pietatē, & admirationem commouere. Atque vt id conſtet legentibus, præſtat hìc producere illam epiſtolam Toribij, in qua de ſuis in Prouincia geſtis commemorat: cui Clemens altera reſpondit, quæ illam, de qua proximé diximus, prærogatiuam continebat.

Sanctiſſime Pater.

Iuxtà præſcriptum Motus proprij Sixti V. felicis recordationis iniungentis Epiſcopis, vt ſui officij, & rerum eò ſpectantium Summis Pontificibus rationem reddant, vt conſtet quantum quiſque in vinea Domini laboret, & ſi quid aut corrigendum, aut ſupplendum in poſterum ſit, appareat, ad S. V. ſcribo, certiorem item reddens S. V. de gratia ab eodem impetrata viſitandi per Procuratorem limina Apoſtolorum attenta diſtantia, quæ intercedit terra, marique vaſtiſſima, vti continetur in litteris Cardinalis Montalti, & Hieronymi Matthæi ad me directis, vnis 28. Auguſti 1588. alteris 10. Iunij 1591. quam gratiam mihi renouauit S. V. concedendo, vt Alexander Præſignanius eadem per me limina Apoſtolorum adiret, addita alia, vt intra annos quatuor relationem de ſtatu meæ Eccleſiæ S. V. mitterem iuxta litteras à Cardinali Matthæo nomine S. V. ad me datas 19. Decembris, anni 1596. quarum mitto exempla. Parui, vti & debui, & oportuit, confirmans me nullatenus omiſiſſe hoc onus viſitandi limina Apoſtolorum, quemadmodum conſtat ex litteris anni 1584. 85. 88. 91. 92. 95. de quo mihi ego mirè ſatisfacio. Quod ſi hæc facultas vlla de cauſa mihi denegata eſſet, paratus eram iter ſuſcipere, ac Romam contendere, nec obſtarent vlla impedimenta, vel vincula ad remorandum iniecta: quippè qui ſummoperè cupio præceptis Apoſtolicis obedire, nec vellem ab ijs vel latum vnguem deuiare. Quod ad rationem attinet mei muneris, iam proximis annis, eam ſcriptam iſthuc miſi, nunc verò capta

oc-

occaſione claſſis, denuò mitto antequam quadriennium compleatur; idque volo mea obſeruantia anteuertere. Et quamquam illa, de qua ſupra commemoro, viſitatio, non niſi poſt decennium recurrat, decreui tamen eam quotannis pro mea religione præſtare, atque ad id Procuratores generales Ordinum Religioſorum, & alios certos homines deſtinaui. Hac relatio, quam exhibeo ſumma eſt fide confecta, & meo nomine, quod ſubſcripſi, confirmata. Seruet Deus Sanctitatem Veſtram in annos plurimos ad ſui Nominis gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem. Regibus Ciuitate in Regno Peruano 14. Aprilis 1588.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

In alia epiſtola ſic ad eundem Clementem: *Ex quo (inquit) iniuit Archiepiſcopatum ad hunc vſq; annum ex annuis redditibus in eleemoſynam impenſa ſunt centum quadraginta tria millia pondo argenti, & inſuper tria millia trecenta quadraginta quatuor pondo, & regalia quatuor, ideſt ab anno 1581. ad 97. prꝑter alias nonnullas, quod dico ad laudem, & gloriam Dei, & bonum exemplum aliorum, qui eo accendantur ad ſimiles eleemoſynas præſtandas.* Ac iterum. *Poſtquam ex Hiſpania ad haſce regiones deueni anno 1581. viſitaui per me, ac per meos Vicarios, cùm per me non poteram ſæpè hanc Diœceſim mihi commiſſam, inquirendo, & paſcendo meos greges, & eorum neceſſitatibus ſubueniendo, & morbis medendo prædicando diebus Dominicis & feſtis Indis, & Hiſpanis ſingulis in ſua cuique lingua, & adminiſtrando Sacramentum Confirmationis innumerabili populo ſexcentis, & eò ampliùs meo iudicio millibus peragrando plus quinque mille ducentas leucas, ſæpè pedibus per vias aſperas, & difficiles, tranſmittendo ingentia flumina, & torrentes rapidiſſimos cum magna inopia, & egeſtate, interdum ſine cibo, & lecto penetrando hac ratione partes remotiſſimas Indorum Chriſtianorum cum infidelibus, & barbaris de more bellantium, quò nunquam ante vllus Viſitator intrauerat.* Ea propter Pontifex Clemens Religionis Catholicæ amator, & propagator eximius, tantoperè cupijt Toribio, ac eumdem toties captis occaſionibus laudabat.

CAPVT XXIII.

Toribij ſtudium, & ratio in Vinea Domini ſpiritualiter excolenda.

PRętere ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt de doctrina, qua erudiebat, ac exemplo, quo ſtimulabat ſuos, quod ad priuatam potius virtutem ſpectabat, quàm ad commune bonum pertinebat: ſunt multa, quæ ad inſtitutionem illorum barbarorum, & ſalutem omnium tum Indorum, tum Hiſpanorum cōtulit, de quibus oportet commemorare. Ac primū nouo exemplo didicit, vt doceret. Nam cùm vidiſſet ſine notitia idiomatum non poſſe ſe Indos ſatis inſtituere, animum induxit ijs linguis (ſunt enim multæ, ac diuerſæ) exoticis, & inſolentibus operam dare, & omnes percallere, vt faciliùs & inculcari, & percipi Chriſtiana doctrina poſſet. Id ei difficilius fuit, tum quòd nec præceptorum erant capaces, nec ars vlla ea tradi ſolitæ, tum quod pronunciatio barbara, & incondita in ea ętate ęgrè acquiri, & præſtari poterat. Vna tantùm erat, quæ ratione, ac methodo traderetur, quòd ſit cōmunior, & Quichua dicitur. Huius extat ſchola propria in academia, quam frequentant ij, quibus eſt iniunctum miniſterium Curionum, & Parochorum, qui nullatenus ad illud munus admittuntur, niſi prius ſeuerè examinati ſatis ſe peritos idiomatis oſtendant. Huic igitur addiſcendæ incubuit Toribius

tantæ ætatis, tantæ degnitatis, tantarum occupationum vir:nec pepercit ſtudio, labori, vigilijsve: & quanquam ſępè auocaretur ab illa cura interuenientibus curis maioribus, non tamen omiſit diſciplinam: ad idque certas horas ſuccidebat de tempore,quas ei ſtudio impęnderet: labore improbo,& lectione continua, & vſu frequenti effecit, vt cum optimè loquentes intelligeret, tùm etiam bené ab audientibus perciperetur. Cæteras linguarum differentias vtcunque tenuit, ne earum videretur ignarus. Eam capitalem ita profeſſus eſt, vt mirè in ea proficeret. Nec ſolum proprié, ſed etiam nitidé,& eleganter dicebat. Extant eius Eccleſiasticæ conciones ſtatis habitæ temporibus. Singulis nimirum Dominicis per annum. Prædicabat ſępiſſimé nullo die feſto prætermiſſo. At in Quadrageſima diebus Mercurij, & Veneris,ſiue quartis, & ſextis ferijs. Mos illi erat concionari ad portam Cathedralis mané. Sed extra oſtium conſtitutus cum baculo paſtorali:eum verò locum eligebat,ne turbaret Diuina, quæ intra Eccleſiam fiebant officia. In alijs Eccleſijs aliàs prædicabat, interdum in cæmeterijs, & noſocomijs, & Xenodochijs. Docebat Chriſtianæ elementa doctrinæ, myſteria Fidei exponebat:tum Euangelia explicabat,deinde altiores tradebat doctrinas, tandem ad mores reformandos accedebat. Tantus erat ardor concionandi, vt interdum morbo correptus ſuggeſtum aſcenderet. Egredi ſolebat é domo pe-

des

des cum domeſticis, & quoſcumque inueniret per forum, & plateas ſecum ad concionis locum ducebat. Ita Limæ, ac extra Limam cùm luſtrabat Prouincias, ſe geſſit. Miraculo datum potuiſse vernaculas eorum Barbarorum linguas vtcumque noſſe ad eos inſtruendos. Incidebat ſæpè in turbam puerorum ſiue Indorum, ſiue Hiſpanorum. Appellabat omnes rogabat: ſatis ne eſſent doctrina rerum cæleſtium imbuti? Si quos rudes inueniret, eos ſtatim neceſſaria ad ſalutem docebat. Neminem dimittebat ignarum. Quæ illi mira, ac propé miranda acciderint, ſuo loco narrabimus. Omnium pené, ſaltem nobiliorum Indorum nomina tenebat, vt quod olim de Rege Mitridate fertur, id de Archiepiſcopo affirmari queat. Idcirco ad eam cognitionem adiecit animum, quód diceret Paſtoris eſſe Euangelici oues nominatim vocare. Itaque eas vehementer amabat, nec vllam patiebatur latere, nedum errare. Inquirebat eas, inueſtigabat vbicunque eſſent, ſiue in ſyluis, ſiue in rupibus, ſiue in deuijs, ac inuijs locis. Inuia ſuæ virtuti nulla erat via: nec eas vocare vt ad ſe venirent iubebat. Ipſe ſe offerebat, ingerebat, inſinuabat, & quò difficiliores erant loci, vbi habitabant, eó celeriùs ibat quæſitum, ne illę laborem periculumve vllum veniendo ſubirent. Deterreret alios quod illum incitabat. Fluuij rapidi, torrentes furioſi, viæ abruptæ, ſaxa immania, confraga aſpera, horrida pręcipitia, vaſtæ labes, horribiles vo-

ragines, immaniſſimę feræ, imbres fędiſſimi, venti acutiſſimi illi addebant ſtimulos ad greges ſuos inquirendos, & tuendos, quemadmodum in euentu viſitationis apparebit. Sępé in barbaras nationes incurrit inimicas Chriſtianorum, à quibus timeri poterat ne interficeretur: eiuſmodi erant in Andibus Xauxæ, & valle Guomabombæ, & Cachapois Motilonibus, & Meyobambis, quę vel ipſe nomine terrori ſunt, nihil moratus eorum feritatē, per illorū mediū ad ſuarū ouiū caulas penetrauit. Bonus certé Paſtor animā ſuam pro ijs poſiturus. Solebat dicere: *Ponamus ob oculos Deum, & vadamūs quo ille iubet, nihil nos terreat, nec detineat, nihil timet tuta conſcentia*. Quid vero timendum ei, qui ardebat deſiderio Martyrij? Sic in eius cura Fr. Didacus Corduba; *Aeſtuabat ardore patiendi pro Chriſto, & moriendi pro ſuis ouibus. Hac ſiti ductus, dolebat vllos perire, cumque audiret eorum plures inſtar belluarum vagari per campos, & verſari in ſyluis, cingi rupibus, vallari ſeptis, ſumpto ex dolore animo eo ſe impellebat, ac per ardua montium, concaua vallium, abſtruſa nemorum rumpens pedes ſe ſe ingerebat, ſępe in conſpectu tygridum, vrſorum, leonum, ſerpentum verſabatur, paucis comitibus trementibus, ac timentibus, & interdum dehortantibus ab itinere, quod dicerent temere fieri, vt homo grauis, & ſenex ijs ſe periculis exponeret, quæ vix vitari poſſent. At ille animoſus, & hilaris ire vlterius, properare, nihil curare, reſpondere ſe Deo, ni huic ſe curæ ac ſuos eſſe ac fore. Eius Prouidentiæ fidendum. Res probauit veritatem dicti. Nemo ei obſtitit barbarus, nulla fera nocuit. Illæſus tranſijt, ac multos ex illis Indis feris, ac immanibus ſua patientia emolliuit, à quibus ſæpe fuit humaniſſimè exceptus. Itaque abiectis quæ gerebant armis ad eius pedes accedere, offerre hoſpitium, acceptum bene habere, audere, ſequi, eiusque doctrinam amplecti, & Chriſtum confiteri. Ac fuit vt in certo quodam, & aſpero loco tres ferme menſes poſuerit, & incultos ad fidem deiectis, ac euerſis eorum idolis perduxerit. Et quòd erat in curſu, relictis apud eos Crucibus, Roſarijs, & icunculis, ac loco idolorum ſacris Imaginibus aſſignato receſſit, verum tam eos memoriæ ſuæ affixos ſecum tulit, vt ad eos poſtea Sacerdotes ac præceptores miſerit, à quibus inſtruerentur, & Sacramentis initiarentur*. Hactenus Corduba.

Illud é multis ſelegi memorabile. Iuſſerat, dum Prouinciam remotam viſitaret, vt ad certum, in quo erat, locum, omnes pueri vicini cuiuſdam oppidi ad ſe confirmandi gratia deferrentur: negarunt regionis periti fieri id ſine illorum periculo poſſe. Interponi latum, & rapidum flumen, quod neceſſe eſſet traijci. Tum ille: *Bene eſt, id ego ignorabam. Ibo ergo ad eos, & flumen meo periculo tranſmittam. Præſtat quippè Paſtorem pro ouibus, quàm oues pro Paſtore periculum ſubire.* Momento traiecit, eoſq; confirmauit. Si tranſeundo in aliquos pauperes incurreret ſeminudos, & famelicos miſericordia cõmotus exclamabat cũ lacrymis. *O pauper tu me ditas. O nude tu me veſtis. O famelice tu me ſatias.* Nec mora eos excipiebat amplexu; cibabat, & veſtiebat. Interdum cum ijs humi ſedebat, & eorũ cibo vſus; qui erat é milio tenuiſſimus, edebat; & poſtea eis eleemoſynas idoneas præbebat, & veſtibus operiebat, & ſaluti corporis, & animi conſulebat. Hac arte plurimos ab idolis ad Chriſtũ traduxit. Paruulos ea voce inuitabat: *Sinite paruulos venire ad me.* Ac eos beneuolé acceptos benedictione impartiebat. In oppido Lunaguarę, poſtquam magnam multitudinem Indorum confirmauit, dubitare cœperat, an vnum ex ijs confirmaſſet. Quatuor annos ei hæſit ille ſcrupulus: & quòd Indus nõ comparebat, non poterat deponere. Caſu viſus excitauit memoriam. Iuſſit examinari; & quòd propter Indi ruditatem minus conſtitit de confirmatione, iniunxit Epiſcopo loci, is erat Diœceſis

Po-

Popayanæ D. Ioannes Rocca, vt illum ſub conditione confirmaret. Fundauit in varijs Oppidis, & Pagis ſodalitia Indorum, & Hiſpanorum communi ſumptu, vt publicis neceſſitatibus tum animarũ, tum corporum conſulerent: quæ hodieque extant, vt ſeruarent populos egenos, & miſeros. Cùm ædificandæ erant Eccleſiæ, & Aræ conſtruendæ, nec facultates ſuppeterent, ipſe ſaxa, & ligna quærebat, ipſe cędi, dolari, aptari imperabat. Poſteà benedicebat, ſacrabat, vngebat, ne Indis negotium exhiberet. Neophytos in oculis, in corde geſtabat; eos loco filiorum habebat; ingenia illorum rudia, & aſpera ferebat, audaces reprimebat, proiectos refrænabat, inuerecundos compeſcebat, luſores obiurgabat: ſi quos temerè iurantes inueniret, eos reprehendere, carpere, monere illis verbis Domini: *Nolite iurare, ſermo veſter ſit, Eſt, eſt: Non, non: ne aſſumite nomen Dei in vanũ.* Eorum calamitatibus, & pœnis; moleſtijſque miſerebatur, ac omni ope calamitoſos, & addictos iuuabat. Siqui damnati à iudicibus ad patibulum deferri contingeret, quibus via publica, qualis ea, in qua ipſe habitabat, incedendum erat, certior rei factus occludi feneſtras iubebat, ne in eos caſu videndo incideret. Tanta erat eius commiſeratio. Idem, ſi quis palam flagellabatur, faciebat. Imò aduocatis domeſticis, eos ſecum in Oratorium deducebat, ac ibi ſimul omnes Deum pro eorum ſalute precabantur. Duo afferre volo eximiæ charitatis exempla. Alterum eſt. Comperit certum

quem-

quemdam Parochum agreſti hominem, & prauo ingenio Indos ſibi commiſſos aſperè, ac immaniter tractare, duré appellare, onera imponere, contra id, quod Prouinciale Concilium decreuerat, ac inſuper eum abundare vitijs, ac perditè, ac flagitioſé viuere. Quid facturus eſſet ſecum priùs deliberato, vocari eum iuſſit, & manu prehenſum in ſecretũ cubiculum duxit: coram attonito, quò res tenderet: denudauit ſe veſtibus, & ante Crucifixum conſtitit, & ſumpto flagro, cœpit ſe acriter cædere, & miſericordiam Parocho implorare. Hic vehemẽter expaueſcens, erupit in lacrymas, ac prouolutus in genua orauit, vt ſibi flagrum traderet, & in ſe ſupplicium illud transferret. Toribius vt eum ad pœnitentiam commotum vidit, ſereno vultu ad eum: *Frater*, inquit, *in quo ſtatu ſis vide Vita tua ab inſtituto, quod tenes, aliena eſt. Deum grauiter offendis, & populis ſcandalũ affers. Hoc ego peccatis meis, qui tuus ſum Paſtor, acceptum refero; ac ideò me crucio, vt pœnas luam. Tu vade, & me libera ab iſto ſupplicio.* Nec opus fuit alia correctione. Lacrymans, ac gemens abijt, & in meliorem ſe frugem recepit. Alterum ſubiungo. Equites duo intra Palatium Proregis inter ſeſe rixati fuerant, contra leges Aulæ. Ex eo contigit, vt ambo in carcerem truderentur, & acta cauſa, vnus multari capite iuberetur. Hunc alter accuſabat acerrimé, & mori vi iuris cogebat, vt factam ſibi in rixa iniuriam reſarciret. Mota eo periculo ciuitas de remedio agitare, quòd damnatus eſſet clarus, & gratioſus, ac

res

res fuerat improuiſa. Itaque multi ſe interpoſuere, ne occideretur. Rogarunt inimicũ multis, & magnis precibus, vt veniam reo daret, ſed fruſtrà obſtinatus nihil admittebat. Durabat in ſententia ſaxo durior. Re deſperata, productus eſt in forum ad locum ſupplicij damnatus omninò iugulandus. Reſciuit rem Archiepiſcopus, tentare voluit, an proficeret. Exijt domo pedes cum multo comitatu, & graui, & in carcerem, vbi erat inimicus, ſe cõtulit: & ſupplicantis habitu ei ſe obtulit, deindè cùm minus cõmoueri vidiſſet, ad id ipſum ante comparata effigie Crucifixi, tunſo pectore cum lacrymis rogare cępit, vt vellet miſero homini ignoſcere. Nõ potuit reſiſtere ei ſpectaculo inimicus; itaque victus dedit manus, ac ſubleuato Archiepiſcopo, lacrymans & ipſe inimico delicti gratiam fecit. Lætus eo reſponſo accepto Toribius, miſit qui denunciarent iudicibus, vt abſtinerent executione ſupplicij. Paulò poſt aduenit ipſe, & miſerum à mortis faucibus eripuit: quæ viſa res, magnos in ciuitate fecit clamores, & multum gratiæ, & famæ Archiepiſcopo conciliauit.

CAPVT XXIV.

Eccleſiaſticos reditus ordine, ac ritè diſtributos in communem laulerum vſum collocat.

ANimis ſuarum ouium primas, corporibus ſecundas partes dabat. Indole magnanimus,

ingenio manſuetus,natura mitis : nec pecunias amabat , nec retinebat ; imò liberaliter erogabat : cùm pręſertim vrgebat neceſſitas ouium,quæ iure quodam opem ab opibus exigebant:quanquam ille pietatem iuri præferebat . Iam antea priuatus aſſueuerat benefacere,& minus nummatus ditare pauperes:ita ſe geſſerat in domo patris filius familias,ita collega Salmanticæ,ita Inquiſitor Granatæ vt creſcente ætate , ac facilitate augeret beneficentiam . Itaque cognomen ab eleemoſynis vulgò *Eleemoſynarÿ* accepit. Limæ initiatus Archiepiſcopus largiſſimus extitit. Initio quidem tenuiores habuit , quanquam vaſtior erat Prouincia,reditus: quippe qui non excederent ſummam duodecim millium pondo . Paulatim hæc aſcendit ad viginti:inde peruenit ad triginta millia. Principio erant Indi ignari Agriculturæ. Otiabantur campi , & iacebant colles,ſolum incultum,rude,infęcundum quod nihil accipiebat , nihil reddebat : poſtea ingreſſi,Hiſpanis cępit agricolatio:ſcindi terra,ſubigi ſolũ, occari,paſtinari,ſeminari,rigari,omnibus modis excoli,& ad fructus formari. Indi induſtrij , ac diligentes eſſe, & nouitate rei acrius inſtare paſturę , culturæ , ac inde vberrimos fructus colligere. Creſcere alimenta, abundare pecora,reditus augeri: Eo Archiepiſcopus lętari : non quòd ipſe ditior exiſteret , ſed quò largior in alios euaderet. Portionem idoneam ſibi ſuiſque ſepoſuit,ne qua re egeret:cæteras partes diſpenſabat . Collegit animo

ſpatia Diœceſis, recurſauit vrbes, & oppida, & pagos notauit, qui egebant, ac ægrotabant, ac diſtribuit quid cuiq; donaret. In numerato habere prius pauperes, quàm pecunias cœpit. Ac primùm vnum qui ab eleemoſynis ordinarijs eſſet, virum pium, & prouidum, & liberalem elegit, ſui genij, & ingenij: magis promum quam condum. Primum elegit Doctorem Ioannem à Rocca, qui cùm recté illud munus adminiſtraſſet Canonicatum paulò poſt obtinuit, ac tandem ad Epiſcopatum Popayanum euectus eſt. Exercuit id munus annos duodeuiginti ſumma omnium voluntate, & quod item erat Archiepiſcopo à confeſſionibus, eius ſe conſcientiæ accommodabat; ac ne qua parſimonię cura in elargiendis ſtipibus laboraret ſedulò curabat, ac ei ſæpé Archiepiſcopus ſuggerebat, ſe duas res ipſius fidei precioſiſſimas crediciſſe: ſalutem ſuæ animæ, & curam ſuorum pauperum: quos perinde ac dimidium animæ faciebat. Huic ſucceſſit alius non impar: eius prioris fratris filius cognominis Ioannes Rocca Cathedralis Parochus, & Canonicus, & tandem Archidiaconus Patruo ſimilis, eo munere perfecté functus quoad vixit. Verum non poterat vnus æquare Toribij largitatem: itaque adhibuit alium, qui cum eam curam partiretur Vincentium Rodericum, quem pauperibus occultis qui verecũdantes palam mendicare, in latebris maiori miſeria deliteſcunt, præfecit. Hic inuigilabat ſicubi huiuſmodi egẽtes eſſent per do-

mos

mos viduarum, & orphanorum perreptabat, inueſtigabat latibula, indagabat angulos, & tamquam pius canis (ſit venia dicto) venaticus miſeros ſubodorabatur, non vt extraheret, ac exponeret, ſed vt ſeruaret, ac ſuſtentaret. Monebat de inuentis Archiepiſcopum tamquam de theſauris: à quo ſtatim ad illos cum pecunijs, interdum cum veſtibus, & frumento, & oleo, & leguminibus mittebatur. Sic Toribius theſauros pauperes exiſtimans ſuos ijs, ceu minus pretioſos; commutabat, & in cęlum ſyngraphas tranſmittebat. Verùm, vt maiori & fiducia, & copia reditus in egenos diſtribueret, alterum ſe ſibi in eo tandem officio ſubſtituit ſororis ſuæ virũ D. Franciſcũ Quignoneziũ, quẽ domui ſuę pręfecerat, vtpotè qui melius ſciret vias pecunię colligendæ, & erogandæ. Huic iniunxit, vt separaret quæ opus erant ad ſumptus domeſticos, & reliquas partes reſeruaret, ac cuſtodiret, pauperum vſibus aſſignandas. Huic propter ſummam fidem, & pietatem multùm fidebat Toribius. Accidit eo viuo mors Archiepiſcopi. Vocatus ad rationes reddendas accepti, & expenſi, compertum domeſticas omninò quadrare. At quæ ad eleemoſynas attinebant, quòd multa in eas ſumma expendenda erat de mandato Archiepiſcopi, minus congruere viſæ ſunt. Tunc ille protulit vnam eiuſdem ſyngraphã, quæ continebat mentem Archiepiſcopi: *Se nimirùm magnam vim eleemoſynarum imperare ſolere, quæ vix poſſet impleri. Igitur ſiquid deeſſet ad ſummam, velle ſe vt Pontificalia ſua, &*

cimmelia venderentur, ac ex proprio imperata eleemoſyna comple-rentur. Quo & fidem ſuam Quignonezius probauit, & pietatem Toribij palam fecit. Hæc generatim. Pauca ſigillatim dicamus quæ inter alia emineant. Petijt ab eo ſemel Licentiatus, Molina nomine, noſocomij S. Andreæ, in quo Hiſpani pauperes ægroti curantur, eleemoſynam. Iuſſit numerari ei ducenta pondo, & accepto eam ſummam domi non eſſe, & rogatus, vt in alteram diẽ remitteret petẽtem, noluit; & ſtatim vocari ad ſe iuſſit Indum ſeruum ſuum idoneum, illumque data ſchedula miſit ad Præfectum noſocomij eiuſdem in poſterum futurum mancipium. Iterum eodem poſtulante ſtipem Molina aſſignauit noſocomio quinquaginta pondo: cùmque moraretur eleemoſynarius, anxius Toribius iuſſit continuò extrahi equum optimæ notæ, & donari, teſtatus ſe in alijs rebus pati poſſe moram, in eiuſmodi rebus non poſſe. Xenodochio, quod Charitatis dicitur, aliàs certam ſummam aſſignauerat. Cunctabatur Vincentius, quòd non erat ſatis expedita: cunctationem caſtigauit, donato in ſupplemento Indo egregio à ſuo cubiculo mancipio. Valebant eiuſmodi quingenta pondo. Rurſum cúm rogaretur à Vincentio Roderico ſubſidium pro verecundantibus, aſſignauit centum pondo: & vocato Franciſco Quignonio, iuſſit ſtatim repræſentari. Nouerat is non eſſe illam ſummam in numerato. Reſtitit cauſatus inopiam. Igitur turbatus Archiepiſcopus edixit, vt ducenta

do-

donaret, additurus ſi cunctaretur. Verum dicebat Franciſcus, & perſtabat in propoſito, vt fidem Toribio ſuam probaret. Sed maior erat in donando homini inſigniter pio conſtantia. Addidit de nouo alia ducenta, atque adeò quadringenta iuſſit afferri. Miratus Franciſcus augmentum, dixit cras ducenta ſe daturum. Repoſuit tum Archiepiſcopus: *Quingenta ſtatim domum eſt is laturus*: Et apprehenſum manu Franciſcum, annuens item Vincentio, vt ſequeretur, eum ſecum in aulam duxit; vbi caſu duo Indi erant in ornanda domo occupati: quæſiuit ex vno cuius eſſet, ac comperto eſſe Franciſci, idem quæſiuit ex altero, ex quo cum noſſet eſſe ſuum, ſtatim illum Vincentio loco quingentorum pondo aſſignauit. Victus Franciſcus erubuit, & parem ſe eo in charitatis certamine Toribio eſſe negauit. Victor Toribius in cauſa amiſit de ſuo, ſed qui ſic amittit, lucratur. Moderatus in cæteris, in hoc neſciebat modum. Vrgebat nempé illa, quæ nullis circumſcribitur terminis, charitas. Hæc imperabat liberalitatem, aliàs ex natura virtutis moralis intra modum conſtitutam, verùm extra modum à charitate virtute Theologica, deductam. Semel quòd non erant ad manum pecuniæ, donauit aulæum. Iterum malluuium argenteum. Contigit, vt fœmina, quæ indigebat palla, ad eum impetratum accederet: ſané intempeſtiuè. Verùm opportuné, vt veniret, fòrtuna fecit. Inuenit Archiepiſcopum inambulantem ſolitarium, prope abacum, inſtante

prandio. Subtractum inde ingens vas argenteum donauit, monens, vt abſconderet, ac ne cui obuio quicquam proderet. Clericum pauperem, & attrita abolla, ſordidaq; veſtitū, cùm ſe tunica exuiſſet, induit. Alterum lacera veſte indutum, quod vidit interula carere, ſua, quam ea die nouam induerat, donauit. Cùmque cubicularij rem poſteà deprehendiſſent, & modeſté quæſiſſent, quomodo ſe ſpoliaſſet, reſpondit modeſtiùs: *Spoliarunt me pauperes Chriſti*. Rixabatur cum eo interdum ſoror innata fiducia, quamquā egregié pia propter *eos, quos* appellabat *exceſſus*. At ille ſubridens, reponebat, *fœminarum eſſe texere veſtes; At verò virorum detexere, ac rumpere*. Nihil ab illo domi tutum erat: nouum genus latrocinij, ſibimetipſi furari, ſpoliare ſeſe, ac domum ſuam diripere, vt alios ditaret. Fuit pius, & acutus; nam & artem adhibebat, ne deprehenderetur, idque tam ſubtiliter, vt nemo præſentiret. Deprehendebantur furta, fur latebat. Accidebat, vt ſoror, & ſororius ablata quærerent, illo ridente, ac reponente. *Fruſtra quærere quod ipſe abſtuliſſet*. Ita in riſum abibat damnum. Omnia tangebat, candelabra, lances, veſtes, periſtromata, aulæa, libros, ſtragula, tabulas pictas, ſimulacra: non tam ſerpit contagium, quàm eius charitas per pretioſa quęque ſerpebat. Paucio- ra peſtis corripit, quàm pietas corripiebat. Parum erat ſerpere, graſſabatur. Cauebatur ab illo domi tamquam à graſſatore. Quacumque ibat, ſi rant pauperes, rapina erat. Accipiebantur ab eius

con-

conſpectu cuncta, quæ moueri loco, & donari poterant, & in armaria includebantur, & claui adhibita intus cuſtodiebantur: ac ne ille poſſet aperire claues ſæpé mutabantur. Alioqui pauperior fieret pauperibus, quibus conſulebat. Verùm domeſtici tametſi non poſſent impedire ne donaret, curarunt ne quæ donabat perirent. Itaque cum pauperibus paciſcebantur de pretio, quo redimerentur: atque hac ratione ablata reuocabant, & domum reducebant, inſcio tamen Toribio: nec enim eo conſcio auderent donata repetere: quippé qui eos de repetundis damnaret. Incedentem per vrbem cum ſolito comitatu Religioſi duo Dominicani eleemoſynam petierunt, ad ſubſidium piæ, quam moliebãtur, fabricæ. Iuſſit dari non indicata ſumma. Acceperunt quatuor pondo. Interroganti Archiepiſcopo, cui res ſuboluerat, quantum id eſſet, exhibuerunt. Pié indignatus ad vnum ex Indis, quem in comitatu habebat valentem, & ſtrenuum. *Abi tu,* inquit, *& vice eleemoſynæ apud Patres eſto.* Ac his attonitis, & repugnantibus imperauit, vt acciperent: ad honorem id ſuum pertinere, & ſuorum, quos eleemoſynis præfecerat, documentum. Mirabile põndo quatuor fœnus quingenta pondo, & ſine vſura felix fœnus. Ingenioſa charitas Toribij hæc in donando excogitabat. Et illud lepore religioſo conditum. Ingreſſus eſt pagum Indorum pauperum, Eccleſiam de more adijt, reperit Aram incultam, vacuam tabulis, vna tantùm Cruce lignea in medio

locata. Igitur ſuam, quam prçferri Archiepiſcopo mos eſt, de haſtili detrahi, & in Ara poni iuſsit, & ligneam loco illius reponi: eamque tandiu viſitando circumtulit, donec aliam argenteam Lima miſſam lignea detracta inſeruit. Nec ſemel hoc ei accidit, ſed ſæpiùs, quemadmodũ & ampullas argenteas, quas ſecũ portabat in altari pro alijs vilioribus ſupponere, & mantilia ſua cum illis, quæ lacera erant, & detrita commutare. In xenodochijs, & noſocomijs lodices, puluinos, & lintea, & culcitras, & ſtragula, atque adeò integrum lectum relinquebat.

Oppidi S. Mariæ à Parrilla Parochus Martinus Aranciuia expoſuit Toribio, non eſſe ob egeſtatem gentis pyxidem idoneam ad ſeruandam, & portandam Euchariſtiam: proptereàque in die ſolemni Corporis Chriſti ſupplicationem non fieri. Vix dũ dixerat, cúm ſubitò iuſſit ei tradi ſex patinas argenteas abaci ſui, vt ex ijs continuò Pyxis fieret. Accidit, vt famulus, qui curabat abacum, quòd vidit duas eſſe ingentis ponderis, voluerit alias minores loco earum donare: quod cúm reſciret Toribius, & illas primas retineri, & haſce duas adijci imperauit, ac ita octo apud Parochum manſerunt. In pago Chaucayo caſu amiſſa eſt Patena cælata probati puri argenti, pretij trecentorum pondo, quam ex Hiſpania ſecum duxerat, domus paternæ gentile monumentum. Quæſita, & qui eam exportarat, ſeruus ſumma diligentia vtraque. Ægré inuenta,

om-

omnes exhilarauit, ſed ille aliud cogitabat. Igitur repertam dono dedit Eccleſiæ. Solus cùm incederet iuxtà mare itinere arenoſo, precibus ſuis intentus incidit in quemdam Hiſpanum mula ſtrigoſa, ſuper clitellam laceram, & vetuſtate conſumptam vectum. Miſertus vtriuſque, ſuam, quæ ei ad manum erat, cum illa commutauit. Ac præmiſſo Hiſpano, ipſe in aliam inſilijt, & quòd ægré ſe moueret, breui à ſuis inuentus eſt, & in aliam mulā tranſlatus. Hoc extra Limam. Illud Limæ. Vir pauper, ac filiæ pauperrimæ pater, cùm eam locare vellet, nec ob inopiam poſſet, ab eo cùm eſſet in atrio expectans mulam ad exeundum, eleemoſynā cum lacrymis in dotem poſtulauit. Non erat aliud, quod donare tunc liceret: igitur mulam, vti erat, inſtratam, dono dedit. In oppido Indorum apud Cachapoyas non erat Curio, qui curaret Chriſtianos propter egeſtatem incolarum. Eò venit, continuò de ſuis nummis emi iuſsit tantum armenti, & gregis, quantum ſatis ad fundandum Sacellum, cuius reditus Curioni in poſterum ſufficeret. Adminiſtri Præfecti noſocomio S. Andreæ venerunt in Palatium, Fontem beneficentiæ, vt ex eo riuos aliquos eleemoſynarum ad illud deducerent. Deſiderauit Archiepiſcopus largiter emanare; ſed quod minus abundabat, non potuerunt vltra quingenta pondo ex eo effluere. Verum ſiccius erat, quàm putabat ipſe, ſolum, vnde fons ſcaturiebat. Igitur diei ſpatio opus fuit ad aquas colligendas eleemoſyna-

rio. Non tulit Archiepiſcopus, & vocatis ad ſe adminiſtris, rogauit, cur inanes, & vacui abirent. Cùm audiſſet remitti in alium diem, iuſſit expectare, & educta ex ſtabulo mula iam inſtrata ad exeundum; *Deportate* (inquit) *eam, veſtra eſt*. Verecundantibus, & reſtitantibus: *Addam plus, ſi moramini*; ac ſtatim omnia peripetaſmata ſuæ aulæ, & calices argenteos quatuor, & ampullas cum ſubiecta patina ex argento addidit: & obſtupeſcentibus, & plorantibus: *quandoquidem,* (ait) *ferre cunctamini*; dabo aliam, & magnam ſupellectilis partem, adiecit: quod onus cùm ſubire non poſſent, appellauit duos Indos é ſuis, ac eis edixit, deferrent illa ad noſocomium, & ibi pro mancipijs remanerent; ad ſex millia pondo pondus illud pretioſum peruenit. Nec ibi ſtetit liberalitas. Abeuntes monuit, vt redirent proxima die pro quingentis pondo, quæ erat prima eleemoſyna. Quis gurges, aut nepos tot, & tanta vno die prodegit? Certé non plura Scylla, Charybdisve ſorbet, quàm ille vna vice donauit. Itaque in ſua domo diluuium extitit. Curam in primis habuit eorum militum, qui filij erant antiquorum Ducum, & Exploratorum illarum regionum, quorum magna copia inutilis erat, & manca propter vulnera in bellis accepta, & quòd poſt bella ſtipendio ceſſante, cogebantur mendicare. Hos in album referri iubebat, & ſingulis hebdomadis ſtatis eleemoſynis ſubleuabat: ac multorum integras alebat familias. De his ſolitus erat dicere, eos non aliena gratis petere, ſed

ſua

ſua repetere, quòd illę opes ſui laboris fructus erant. Inſtituerat Rex Franciſcum Quignonezium ſororium ſuum Gubernatorem Regni Chilenſis, quod multis pauperibus Indis abundabat, ac non paucis militibus reliquijs antiquorum, qui ſumma inopia laborabant. Cùm iam eſſet in procinctu, donauit ei aureos viginti mille ad ſubſidium pro veſtibus, & alijs vſibus egenorum. Gynæceo Charitatis, in quo erant puellæ pauperrimæ collectę nuptui dandę, cùm dos ſuppeditaret, quotannis duo millia pondo dono dabat. Alijs pijs locis aliæ ſummæ aſſignatæ. Pecuniarias pœnas, ſiue mulctas, vti ſuperiùs diximus, vel ipſiſmet reis remittebat, vel in vſus ſacros, pioſque conuertebat. Parochum grauiter ægrotantem, cui quòd erat gnauus, & induſtrius vehementer cupiebat, miſit vnum de ſuis hominem, qui inuiſeret, ac interrogaret, ſiqua re indigeret. Ille gratias primùm egit, deinde vſus fiducia, renunciari iuſſit ſe in ſumma inopia mori, eoque cruciari, quód cùm ducentas Miſſas, quarum ſtipes accepiſſet, implere non poſſet, nummi, quos ad id legare non ſuppeterent. Itaque anxius vicem ſuam decedere: precari Archiepiſcopum curaret celebrari, ac illud ſuum debitum extingueret. Audito, quòd opus eſſet è capſa, in quam nummi ad hoc munus injjciebantur, iuſſit extrahi ſummam, & impendi in eas Miſſas: illud mirum, quòd ducenta ſunt pondo reperta, quę totidem Miſſis reſponderent. Vixit Parochus tamdiu, donec ſolu-

tum eſt debitum. Ac de eo certior opera eiuſdem factus, tranquillé deceſſit. Sæuiente Limæ peſtilentia, abſens verſabatur in Prouincia: accepto nũcio ſcripſit ſuis, qui facultatibus præerant Quignozio, & alijs, vt nulli parcerent ſumptui, nec pecunias ſolùm, ſed etiam ſupellectilem inſumerent in vſum ægrotorum; quòd ſi ſatis non eſſent propria aliunde mutuum ſumerent, quod ſatis eſſet: paratum eſſe ſe quicquid expenderent, ex integro ſoluere. Eo animos omnibus & ſuppeditantibus, & egentibus fecit; ac nullus eius opem deſiderauit. Tempore prandij concurſu egenorum miré delectari, eos hilariter intueri, interdum ſi non adeſſent, vocare, cum ijs cibum partiri, vt conuiuium pauperum illud videretur. Sæpé eis propria manu fercula, & pocula miniſtrabat. Accidit ſemel lepidum quiddam, conditum vrbana pietate, & fraude ſubtili. Indo pauperi, qui inter cæteros prandenti adſtabat miſſum é culina ferculum de manu ſua, tam erat propé, dedit: is cùm ediſſet, voluit & catinum argenteum ſecum deferre, quaſi omne id, quod acceperat, ad ſe tranſiret. Hoc aut ſibi perſuaſit, aut ſimulauit: ac proindé catinum vacuum ſub axilla poſitum tulit, & aula cœpit exire. Senſere cæteri, & mirati audaciam ne, an verſutiam? eum tenuerunt, & vim fecerunt, vt relinqueret. Nolentem omnium turba pauperum aggreſſa pugnis cõtudit; ipſe pergere, mordicus tenere catinum, plagas non curare, opponere ſuum eſſe quod acceperat

de

de manu domini tam liberalis: à quo nihil fuiſſet exceptum. Iniuriam eos facere tanto Principi, ſic vocabat, ſi reſtringerent donum ad edulium. Dignum eo munus non eſſe. Ferculum totum eſſe congruum donanti, & ſibi accipienti vtile. Se ſcire mentem donantis. Legem, illius eſſe voluntatem. Illum tacere, & tacendo conſentire. Se furem non eſſe, qui donatum ferret, ipſos eſſe latrones, qui acceptum extorquerent. Interim tamen vehementer pulſari. Demum detractum ei eſt, quod tenebat. Tum exclamans excitauit mentem Archiepiſcopi, qui animaduerſa rixa, quæſiuit quid rei eſſet? Accepto, reſpondit: *Reſtituite homini catinum argenteum duplici iure ſuum, & benigna mentis meæ interpretatione, & ipſa quam tulit iuſta plagarum incuſſione.* Itaq; dimiſſus ſuo ſpolio eſt potitus. D. Grimaneſa eius ſoror miſit ſemel ipſi ingens caniſtrum bellarijs, & cupedijs plenum. Erat tum in viſitatione Eccleſiæ cuiuſdam in pago Indorum conſtitutæ; vt vidit munus, exijt cũ omnibus foras, & vocatis pueris Indorum, inter eos bellaria diſtribuit. Aliàs cùm ſimilia dona ab ea accepiſſet, omnia infirmis, ad quos dedita opera diuertebat, diuiſit. In conuentu quodam Lungando appellato voluit palam merendam, ſic dixit, inſtituere: vt omnes adeſſent, & manducarent. Propé erat flumen, locus amœnus, ac herbidus inuitabat. Stratum erat ſolum tapetibus, ornata, & inſtructa erat menſa varijs, & exquiſitis cibis. Sederunt omnes tum Hiſpani, tum Indi. Sed ille omnia Indis porrexit, vetito ne quis ſuorum manducaret. Itaq;

Indi

Indi ventres impleuerunt, Hiſpani oculos recrearunt. Ipſe impaſtus domum redijt paſtis ouibus. Suos eo ſpectaculo pié deluſos abundé domi refecit. Fuere plerique, qui mirati eleemoſynarum magnitudinem, & multitudinem, voluerunt expēſas in illis factas cum reditibus ſubtiliter conferre: & ſummam vtrorumq;,putatis rationibus explorare. Sed ſecretæ eleemoſynæ tot erant, vt omninó eos hæc pars latuerit. Illud conſtat ex litteris ad Clementem Octauum ab eo miſſis apparere, centū quinquaginta millia circiter pondo fuiſſe annis ſexdecim in ſtipem impenſa, nouem annos poſteà vixit. Ea ſumma creuit, ſed eo tacente ignoratur. Epiſcopus Chilenſis eo mortuo in publica laudatione dixit, ducenta millia pondo in pauperes, & pia opera contuliſſe. Vulgò fertur millia trecenta expleſſe. Familiares, qui intima nouerant res Archiepiſcopi, non audent taxare ſummam, & ſignificant incertam, & ingentem eſſe, cùm tantas ille clam eleemoſynas feciſſet: nec vellet eas prodere. Certé qui tabulas examinet, & cōferat data cū acceptis,tanta eſt vti illorum, vt videatur æquare accepta. Verùm cùm ſuperſint ſummæ,quas domi ſecum,& cum familia,quam ſané iuſtam, & ſplendidam habuit,expendebat,neceſſe eſt eas de alia ſumma detrahere,atque adeò plura accepiſſe,quàm dederit. In hac controuerſia mihi videntur non abſurdé iudicare ij, qui miraculo tribuunt illam in benefaciendo piam profuſionem, & facile fuiſſe ei,

qui panes, & piſces multiplicauit, nummos quoque, & facultates Toribij augere.

CAPVT XXV.

Suſcipit, & obit munus viſitandi Diœceſim, & quomodo viſitauerit exponitur.

HOrret calamus deſcribere regiones, quas Toribius non timuit peragrare. Deterrent à ſcriptione ſpatia immenſa locorum, gentium diuerſitates, feritaſque congrua rupibus, vbi degunt: nemorum opacitates Solis radijs impenetrabiles: ſyluarum vmbræ noctis domicilia, montium iuga communia nubibus, cauernæ ad ima Tartarorum præcipites: labes, & hiatus, ſpiramina manium: fluuiorum rapacitates violentæ, lacuum cœnoſæ voragines: rupium dorſa inſueta inceſſui: confraga aſcenſus, & deſcenſus impatientia, ſemitæ inſidioſæ: calles fraudulenti: deſerta frequentia ſerpentibus, leonum, & tygridum ſtabula: cacumina gelu, & niuibus obſita: valles æſtuoſæ, ac puluerulentæ, torridæ zonæ ardentes nodi, campi theatra Syrij æſtate, Capricorni brumæ, oppida horrida, ſordidi pagi, caſæ malè coagmentatæ, ruinoſæ domus hiantes, nimbis obnoxiæ, ſolis radijs familiares, cubilia cautibus affixa, ceu nidi ſuſpenſi, apti ad præcipitium, ferarum horribiles formę, monſtrorum ſpecies metuendæ: hominum figuræ vltra monſtra, & feras fœdiores: arma terri-

bilia,habitus inſolentes, ſicubi tamen ſunt : nuditas turpis, & inculta,interdum efferata artibus, & ad terrores affectata. Hęc dum ſcribo reſilit calamus, nec atramentum ob ſtuporem cogenti ad exarandas literas reddit. Format lituras manus, ſimiles rebus,quas deſcribit. Hæc omnia vicit animo imperterrito Archiepiſcopus Toribius,& leuia, & facilia duxit: vrgente charitate erga oues ſuas, pro quibus vitam ponere cupiebat. Itaque vixdum inito munere decreuit luſtrare prouinciam ſibi cõmendatam: ac ex illo culmine dignitatis tamquam ex ſpecula cœpit circumſpicere omnes regiones, quibus erat præpoſitus, & ante animo complexus eſt,quæ pedibus debebat peragrare. Ac primùm ciuitatem Limam introſpexit, & quæ opus erant ad ſalutem prouidit, correxit mores, renouauit inſtituta,leges reſtituit, ſacra inſtaurauit, ad officium cuncta reduxit. Haud ei difficilis prouincia fuit inter Hiſpanos pios, & eruditos, opera virorum Religioſorum,qui eum ſtrenuè adiuuabant. Præſtò erant Sacramenta, eorumque miniſteria, quibus animi expiarentur, & mundarentur. Verùm exeundum erat foras,& cum barbaris agendum, quorum & ingenia à doctrina, & mores á virtute abhorrebant,vbi aut pauci operarij, aut nulli verſabãtur. Primò ſubijt mentem amplitudo regionis, & turba gentium inconditarum,quę per ſexcentas,& amplius leucas fundebatur,partim ignorans, & neſcia ſacrorum, partim malè docta, & negligens do-

ctri-

ctrinæ, quam ægrè acceperat. Igitur ſcripſit ad Regem, vt immenſam illam Diœceſim diuideret, & diſtributam in conuentus diuerſis Epiſcopis aſſignaret, vt hac ratione meliùs, & faciliùs edocerentur. Deſignabat duos Epiſcopatus: Truxilli, & Guamangę, qui poſteá ſunt erecti, & inſtituti conſilio eius approbato: quod tandem eſt viſum idoneũ, imò & neceſſarium. Verùm cùm id non impetraſſet, accinxit ſe ad viſitandum. Menſus cum peritis regiones non lituo, ſed baculo, comperit conficiendas ſibi eſſe leucas quinque millia. Sed non idcircó eſt abſterritus, & cùm audiſſet montoſam eſſe maximé prouinciam, cecinit illud Euangelij: *Exurgens Maria abÿt in montana cũ feſtinatione*: quod ſæpé inter viſitandum repetebat. Ter luſtrauit Diœceſim, bis totam, ſemel nouiſſimé partem: quòd eum vita defecit. In prima viſitatione annos ſeptem inſumpſit ab anno 1584. vſque ad annum 1590. In ſecunda annos circiter quatuor, nempè regionum peritior, ſubacta iam, & exculta terra. Tertiam inchoauit, ſed breui obijt. Diuerſis aggreſſus eſt in partibus, mutata ratione viarum pro neceſſitate populorum. Primæ duæ mediterraneæ fuerunt. Tertia vicina littoribus. Omnes arduæ, ac difficiles. Sciunt qui loca norunt. Sola nomina horrore ſoni ſignificant aſperitatem. Peragrauit Conchuyos, Guaylas, Guenucum, vaſtitatem camporum Truxilli, inde inſuperabiles montes aſcendit. Condomarcana, Cachapoyarum iuga ſuperauit, quæ

vix equites admittunt, pedites difficulter, ſolis Indis aſſuetis patent. Tranſmiſit alios montes Abancayanos, Guamalules, Andes, Cinchacochanos, & Guancabambanos, vbi nudis incedendum eſt pedibus, ne veſtigia fallant euntes. Intrauit retruſa Carapinæ, Acoquiliæ, Chilcarum, Guarticum inter armatas barbarorum turmas, quę occurſabant minaces, & feroces, truculentis vultibus, hiſpidis mẽbris, vaſtis, & fœdis corporibus, & inermem ipſum circunſiſtebant. Triuit inſuetas vias Xauxæ, Guancaij, Cachangaræ. Perrexit per luſtra Yungarum, Guancabambæ pené deſerta propter aſperitatem. Inceſſit per rupes, & ſaxa Chauienæ, & Chachabambæ ſolis Ibicibus peruia. Penetrauit occulta Chindiæ, Ciguarum, Cerougi, & Lapi, & Cucuſquillæ. Adijt obſtruſa Mayobambæ, Taquileonis, Oellorum Calangi. Percurrit Pacaſmayum, Chimamam, Catraſmalum, Guambachum, & mille alias huiuſmodi regiones, quas idcirco proprijs appello nominibus, quòd video ſcriptores Romanos vt ſuorũ Imperatorũ, & militũ magnanimitatem, & fortitudinem exaggerent, nomina locorum inſolẽtia, & horrida affectare, & hiſtorijs ſuis intexere: quę ſi cum his conferantur mitia ſunt, & ſuauia. Quid enim quæſo habeãt terroris Tap hræ, Cyminius, Caledonius, & Hercinius ſaltus? quid formidius incutiunt Thapſus, Arracillum, Geſſoriacum? quæ tamen Romanis horribilia fuerunt. At illi hæc armati collecto exercitu ſunt aggreſſi: Toribius

bius inermis cũ paucis domeſticis eſt ingreſſus. Lacus, & flumina, torrẽtes, ac prærupta non commemoro: ipſa ſuis locis occurrẽt, & lectore morabuntur. Modus viſitandi eiuſmodi erat. Indi duo præibãt locorum periti, qui viam monſtrarent, & ſi qui eſsent obices remouerẽt, & ſemitas occultas in ſaltibus quà, & breuius, & tutiùs eundum eſſet, aperirent. Sequebantur pauci domeſtici anteambulones, agiles, honoris, & comitatus cauſa. Succedebant Sacellani tres, quorum vnus Crucem Archiepiſcopalem præferebat. Duo reliqui medium Archiepiſcopum honeſtè poſt Crucem incedentem ducebant. Tum quatuor é familiaribus nobiles equis, mulisve ſe ſe agebant, ſeruis à pedibus ſtipati, qui cuſtodiæ corporis ſpeciem præferebant. Poſt omnes hos à tergo ibant duo paria Indorum, quos lecticarios dicunt. Hi duabus elatis perticis, ſuis ſubligaculis in ſummo adhibitis retia quædam nexa portare ſolent, quæ lectuli loco penſilis inſtar ſunt, & cùm expanduntur culcitram mollem exhibent, in qua cubat dominus, vel viator à quo conducuntur, magno ſuo commodo, & iacens iter conficit nullo certé periculo. Sunt quippe illi Indi baiuli miré veloces, ac expediti: ac quòd aſſueſcunt illis rupibus tanta facilitare etiam per confragoſa, & prę̨rupta incedunt interdum ſaltitãte, vt videantur volare. Penſilem illum lectum guandum appellant. Hos de more gentis ſecum ferebat Toribius ad ſpeciem magis, quàm ad v-

ſum. Fermè quippe pedes incedebat, vt religioſiùs ac demiſſiùs iret,& oblatos reijciebat,& ad comites remittebat.Sæpé otiabãtur ſine vllo pondere vacui, nec ſua tamen mercede fraudati. Archiepiſcopum mula plerumq; vehebat. Modica ſupellectili vſus, quòd diceret onus, & moleſtiã afferre, ac decere,vt ipſe conſuetudini gentium ſe accommodaret. Itaq; ſæpé in tugurijs, & caſis ſuper ſtramenta,& paleas,interdum humi cubabat. Buhias domicilia illa, ſiue ſpelæa Indi vocant. Nihil ex ante præparari iubebat, cùmq; illæ gentes in diem & fortuito cibo viuant,non raro impaſtus,&diem, & noctem ducebat. Mirari indigenæ, mirari Hiſpani hominem id dignitatis, id ætatis annorum ſexaginta tam ſe negligere, tam ſui curam abijcere,vt tot incommoda,& viæ, & cibi, & quietis ſuſtineret. Eo animos addebat comitibus,eo ſtimulos pietatis indigenarum animis infigebat. Edere cum his, cibos vernaculos tenues,& inſipidos laudare, potus inſolentes lubens haurire, lectos humiles,& aſperos extollere,paupertatem,ac egeſtatem vltra, Cræſſi, Craſſiq; diuitias exaggerare. Baptizabat ſuis manibus plures vltra officium,omnes ex officio confirmabat. Id ei propoſitum erat,noſſe inuia, & abſtruſa, & in ijs animas, indagare venator ex Paſtore factus. Indi infantes tanquam é nidis pullos ad Eccleſiam abſtrahebat, in viſcera inferre ſacra: in iugis iuge ſacrificium facere, aras medijs in rupibus, melius quàm in fluctibus ſtrue-

re.

re. Inter ferarũ cubilia, vigilias nocturnarum precum agere. Inter rugitus Leonum, & tigrium vlulatus, & vrſorum fremitus Pſalmos canere. Vbi non erant Eccleſiæ, eas excitare: vbi deerant Parochi, & præceptores, eos ponere. Diſtinguere inter eos conuentus, & ſuos cuique populos aſſignare. Deſerta loca frequentia ſacris reddere, vbique Cruces, vbique altaria, vbique imagines conſtitutæ. Interdum veſtiri Pontificali ornatu, & mitrato capite lemniſcis pendentibus, orario tranſuerſim ducto, epomide candidiſſima longiſſimis lacinijs ad talos vſque demiſſa, baculo argenteo præ manibus ſumpto coram illis barbaris hominibus apparere, & ad ſtuporem redigere, & cogere ſe ſe venerari, ac ea occaſione attonitos ad fidem reducere; quòd facile erat eos ex illo conſpectu ſpeciei humano habitu auguſtioris ad diuina credenda pertrahere. Contigebat nonnullos eorum ſubita illa, & inſolita ſpecie percul ſos retro abire, ac fugere, & vix loco firmos conſiſtere. Mox ad ſe redire, & blandis nominibus appellati accedere, & Chriſtiana doctrina imbui. Caziquius quidam in montanis habitans vbi paganos ſuis ſuperſtitionibus inſtruebat, cùm eum ad ſe penetrantem eo habitu vidiſſet, ſpectaculo motus Indos ei ſuos ad doctrinam obtulit, ſeque ſuis ritibus renuntiatis inter eos erudiendum præbuit: quem humaniſſime acceptum cuidam, ad quem ille conuentus pertinebat, Parocho Franciſcani Ordinis inſtituendum,

&

& baptizandum tradidit. Non minori ſtudio ille cauernas, & antra inueſtigabat, vt pauperes, ac miſeros Indos inueniret, apud quos ſe depauperaret, quàm Mercatores viſcera terræ excauabant, & fibras lapidum ſcrutabantur, exoſſantes montes, exdorſuantes colles, euirantes inteſtina telluris ad extrahendum aurum, & argentum, quo ſe locupletarent. In lacunas cœnoſas, in paludes humidas ſe demittere, in torrentes præcipites ſe conijcere, in lutulētavada ſe immergere, in ſenticoſos calles ſe intrudere, in ſpinoſas ſyluas ſe abdere, in vepreta intricata ſe induere, in ſcrupea gurguſtia ſe includere, vt Indos ad ſalutem eliceret. Interdum ſaltuoſa, & præcipitia cum ingenti periculo tranſiliebat, cuiuſmodi ſunt multa in ijs regionibus loca: quæ tamen ab Indis habitantur. Nolebat quemquam vel latentem præterire, ne ſua perijſſe culpa videretur. Adibat Indorum habitacula extra anni, ſoliſque vias poſita, vt ijs Euangelij lumen afferret: quæ tam ſunt abdita, & ardua, vt de ijs dixerit nobilis author Acoſta Ieſuita,. & illorum ſaltuum peritus: *Spem ſalutis videntur excludere: quippè quæ ſunt inacceſſibiles. Eò ducunt itinera ceruis, & ibicibus tantùm peruia.* Molles præ illis Alpes, niues harum, ſi cum ijs comparentur, calidæ. Alio Annibale ad eas ſuperandas opus erat, quem non aut vindictæ ardor, aut opum cupiditas, ſed ſtudium religionis, & ſalutis deſiderium excitaret. Ferunt in quibuſdam regionibus tantam eſſe vim frigoris ob inclementiā

cœ-

cœli apud Punas (qui vulgò Portus appellantur) vt ſoleant homines rigeſcere, & in veſtigio mortui remanere ſaxis niue obrutis ſimiles; ſtatuas gelatas putes, atque hoc habitu diu, ac per annos plures erectas, & incorruptas perſeuerare. Alibi tanta eſt violentia æſtus, vt contrà homines calore correpti immodico inſtar ceræ colliqueſcant, & reſoluta membra diſſoluantur. Hàc tranſibat Toribius, quamquam obſeruatis idoneis tempeſtatibus, ne temerè aggrederetur tam periculoſa itinera. Maiorem illorum partem pedibus conficiebat, ac ſæpè onuſtus, nam equi, & muli eò non poterant aſcendere onerati. Itaque exonerari oportebat, ac præmitti, & onera depoſita diuidere inter ſe viatores cogebantur: ſingulis ſuæ partes contingebant, nec ſe exortem Toribius eſſe patiebatur. Inter Indos baiulos ibat, ac onus ſuum portabat, quod ſubridens, Crucem ſuam dicere ſolebat. Immiſtus nigræ turbæ curuato dorſo baculo incumbens, interdũ repens ibat alligato onere. Qui illũ incedentem videret, vnum è mancipijs iudicaret, quorum diſſimile nihil habebat, præter colorem. Interdum lubricis, & fallentibus locis clauos calceis infigebat, vt tenaciùs, ne titubaret, hærerent; non ſemel accidit ligari funibus, & trahi, ac per aerẽ pendulo ferri corpore. Faciliùs erat per paluſtria, & vadoſa incedere. Nudabat enim pedes, & facilè tranſmittebat. His pijs artibus omnia ardua, auia, inuia penetrauit, & verum illud reddidit ſchema: *Inuia virtuti*

nul-

nulla eſt via. Per has difficultates itinerum, flexus viarum, ambages callium, mæandros fluuiorum viſitationem ſuam confecit. Cùm ad pagos Chriſtianorum veniebat, ſtatim ad Eccleſiam ſe conferebat, eaque perluſtrata, quæ erant ordinata laudabat, quæ diſiecta, & confuſa reprehendebat. In illa ſcribebat quæcumque reperiebat, & ſcripta tradebat Curioni: quæ deerant ſeruabat ipſe deſcripta, & ſuppeditari curabat. Procul erat à lucro, qui ſua omnia impendebat. Alios viſitationes, ſi minus ditant, ſubleuant certé. Illum fatigabant, & depauperabant. Ac vt omnem auaritiæ, & cupiditatis ſuſpicionem aboleret, cùm ad pingues, & diuites aliquos locos veniebat, vetabat ſibi quicquam offerri, etiam hoſpitij, & officij cauſa, ac ex ijs confecto rerum inuentarum inſtrumento diſcedebat. Nec ſolùm ipſe abſtinebat, ſed abſtinere cogebat ſuos, etiam à ſtipendio, & prẹmio ſolemni pro ſcriptionibus. Verùm inter Hiſpanos id fieri permittebat. Inter Indos prorſus vetabat pœna impoſita, ſiquid acciperent: nempè vt quadruplum redderent. Ipſe de ſuo penu dabat. Siquis vir honeſtus, ac ſplendidus ipſum domo ſua inuitabat, non excludebat; verùm à Parocho ei facultatem eò commigrandi, & ibi commorandi poſtulabat, idem facere ſolitus, ſi quis eiuſmodi ab ipſo inuitaretur. Ita exemplo docebat, quantum ſit Parochis deferendum.

CAPVT XXVI.

Mirabiles quidam euentus, qui inter viſitandum acciderunt, referuntur.

HÆc vniuerſim. Præſtat ſigillatim nonnulla ſcitu digniora ſcribere. Statuenti Indos quoſdam in prærupto degentes inuiſere dixit peritus loci arduum eſſe, ac periculoſum iter, temeré facturum, ſi iniret. Omnes horrore viæ torpeſcere, cùm præſertim laſſi, & pené confecti ex alio, vnde exiſſent, itinere langueſcerent. Cui ille fortibus oculis, ſeueris verbis reſpondit: *Bono Paſtori non licere oues ſuas negligere, cùm Chriſtum cœlum ipſis propoſuiſſet.* Vix dum finierat, cùm viam ingreſſus accliuem fallente veſtigio lapſus fuit: ac porrigenti ſibi famulo manum: *Diaboli (inquit) arte factum, vt laberer, quò me à propoſito deterreret. Sed pes fallere me potuit, ipſe non poterit. Ibo, ibo vel præceps ad illa iuga quæ video eminere.* Et pia pertinacia proſecutus iter pedibus, decem milliaria confecit, & euaſit ad ſummum, vbi multos Indos inuenit, apud quos erant liberi, & puberes nondum baptizati. Ergo baptizauit illos, & poſt baptiſmum cõfirmauit, ac ibi eadem cauſa diem, ac noctem magno incommodo, ac pené vigil, & ieiunus tranſegit.

In regione Cachapoyana decreuit alios Indos adire tam arduis, & confragoſis locis conſtitutos,

vt ſocij non auderent eó contendere, atque adeò moueri indé ſe poſſe negarent. Nox eam contentionem diremit. Toribius omninò procedere vltra volebat. Siluit toto crepuſculo. Verùm adulta iam nocte, cùm omnes quieſcerent, Indo cuidam, quód ei fidebat, excitato, iuſſit, vt ſibi adeſſet, & mulam pararet, ſeque præiret ad viam capeſſendam. Paruit ille. Ambo ſoli nocturnum iter etiam die difficile confecerunt, & per tortuoſos, & flexuoſos calles ad pagum illuceſcente aurora peruenerunt. Socijs poſt lucem mirantibus ſolitudinem, & pudore illius veſtigia conſectantibus. In quodam remoto, ſed frequenti pago imbutis cœleſti doctrina indigenis accepit deſiderari vnum, qui procul gregi paſcendo erat intentus, noluit vocari ipſe, ad eum adire cœpit animo docendi, ſed comites eum anteuertentes Indum adduxerunt, quem ille erudiuit, & comperto non eſſe confirmatum, eruditum ſtatim confirmauit.

Contendens oppidum Chinchę cum binis ſocijs caſu è via exijt, ac diu errauit, donec poſt longum errorem fatigatus, & fame, ac ſiti propé enectus oppidum inuenit; continuó nulla requie, cibove accepto, omnes oppidanos confirmauit.

Iter faciens propter Maragnonem fluuium, dum per ripam inceſſit recta iuit, ſed flexus ad ſyluã amiſit iter, eóque ſe induxit, vnde nullus exitus eſſe videbatur. Solus exierat occupatus horarum penſo. Tentauit ſe extricare, diu luctatus nihil

vt inter deuia, & prærupta profecit. Iam comites in tutum venerant, ac conon inuento dolere cœperunt, cùm iam nox immineret. Ea ſuperueniente, & ſatis obſcura, ad eum quęrendum exierunt accenſis facibus, & magnis clamoribus, vt animum eò vnde lux,& vox erat,aduerteret. Tādiu fatigarūt ſyluas, vt propè eum locum, vbi conſtiterat, venirent. Clamante hic validius vno audiuit ille vocem,& reſpondit Multiplicatis vocibus,& facibus ad eum patuit via. Sed ille minimè motus expectabāt quærentes, à quibus tandem eſt inuentus prope rupem, cui corpus applicarat altera manu Breuiarium, altera fręnum mulæ tenens, totus ridens,ac ſimul eos accedentes vidit: *Non ſum(inquit)perditus,adſum ſocius veſter,adſum.*

Rurſum (videbatur in periculis ludere) ſolus ſine ſocio mula vectus comitatu exceſſit antecedens omnes. Orta eſt fęda tempeſtas,vēto,& imbre grauida,quæ in eum detonuit;via tam erat aſpera, vt é mula deſcendendum, & pedibus incedendum fuerit. Tum ducebat mulam, & procedebat. Ægré ad locum peruenit totus madens intus ſudore,foris aqua; paucis horis ad quieſcendum ſumptis, dedit operam rebus diuinis.

Periculoſius illud fuit. Exierat oppido Corongo Sole occidente, & tendebat Lapum duodecim inde milliaria diſtans vno ſocio Hiſpano, duobus Indis:reliquis negantibus noctu ſe ituros. Iter fecit ad mediam vſque noctem pluuio, & caliginoſo cę-

lo. Peruenit id noctis Lapum. Inquies recitauit officium, & alias de more preces: lectus non erat. Inſomnis duxit reliquum noctis: vix dum orto Sole adijt Eccleſiam, conſecrauit Aras viginti, & ſacra obiuit. Hora tertia venére ſocij, ijs aſſumptis, ſubitò egreſſus eſt ieiunus, & ad vicinum ſe contulit oppidum via tam aſpera, vt mula ſæpè cæſpitauerit, & fręnum excuſſerit. Ea infręni, ac currente peruenit ad oppidum: ſed mulam impetus vlteriùs auexit, tam præceps ibat, ac omninò procederet, niſi eam duo pagani ſeſe opponentes detinerent.

In oppido Chachopoiarum ſacro conſecrato Chriſmate, ac Oleo ſancto die Iouis hebdomadæ Maioris, & inſtructo populo, multas diſtribuit eleemoſynas, & ſacra Officia peregit magno ſolatio paganorum. Die proximo receſſit, & vrbem Moyobambam contendit itinere maximè montano, & prærupto, præmiſſis impedimentis expeditus, manſit cum paucis. Deuentum ad amnem ex inundatione recenti tumidum, & rapidum, qui tranſuadari non poterat, neceſſe fuit tandiu in ripa expectare, donec detumeſceret: ibi noctem duxit ſine lecto, & cibo ſub dio frigori obnoxius. Quidam miſerti illius ierunt in vicinas ſyluas, ſicubi fortè eſculentum aliquid inuenirent. Inciderunt in racemos quoſdam hederaceis pampinis ſimiles, hos aſſos igni præbuerunt famelico, qui eos cum ſocijs libenter manducauit. Poſtero die cùm mouere loco vellet, fluuio tranſitus iam patiente; iuſſit lucos ſolui

plan-

plantanos. Famuli dixerant ſuperuacaneum hoc eſſe,quòd illi fructus erant agreſtes,& inempti:non acquieuit. Itaque reliquit in trunco arboris, vnde decerpti fuerant,duo regalia,multò plus quàm valebant. Poſtea traiecit fluuium,& intrauit vrbem vbi Paſcha ſolemniter celebrauit,& multis Euchariſtiam miniſtrauit. Periculoſior fuit ille euentus. Ibat per arduas, & accliues vias, titubauit mula, & cecidit eo ſimul deuoluto in terram,& crure mulæ ſubiecto. Affligi,& frangi periculum erat, niſi comites properé accurriſſent. Accepto à nuncijs,pagum Taquilponum conuentus Macatenſis ſua viſitatione indigere, cò ire feſtinauit, ac perueniens ad fluuium Santam,qui enormiter creuerat,ne morari cogeretur, iuſſit funes craſſos ſuper aquas ab expeditis Indis extendi, ſeque ab ijs arctè ligatum ſuperiùs imponi, & impulſu trudi, atque hac ratione tranſmiſit.

Monitus in locis remotis, & abſtruſis Indos habitare feroces,ac barbaros, atque adeó incultos,ſtatuit ad eos penetrare,& ad fidem pertrahere. Nec eum terruere malignæ viæ. Perrexit per luſtra,per rupes, per torrentes leucas triginta abiectis interdū calceis,quod itinera erant paluſtria,& cœnoſa. Accedit,vt ex nimia fatigatione in ſolum ſimilis mortuo ceciderit,nec ſe mouere inde potuerit. Cucurrerunt ad eum Indi experti malorum, & inuento ſemimortuo ſtipitem latum præciſum ex arbore vicina produxerūt, ac ſuper iniecta ſtragula in mo-

dum lectuli accommodarunt, & ſuccollantes humeris,eum deduxerunt vſque ad locum, vbi erant ſocij Hiſpani in campeſtri planitie. Impleuerũt comitatum tumultu clamantes efferri dominum. Depoſuerunt lignum:nihil ille moueri. Circumſtetére plorantes, & tacto pulſu reſpondit arteria tactui. Læti adhibuére, vt in re ſubita fomenta Poſt horas duos ad ſe redijt,& quaſi expergefactus: *Vbi ſum* (*inquit*) *Deus me ſeruauit. Seruetque in poſterum ad Eccleſiæ ſuæ vtilitatem.* Nihil vlteriùs. Illo loco manſit, vti erat iacens noctu in loco periculoſo, infeſto leonibus,ac vrſis,& ſerpentibus, quorum fremitus é vicino audiebantur. Ignibus excitatis, & ferreis inſtrumentis terruerunt. Manè vtcumque ſurrexit, & paulum recreatus ſacrificauit, & iter cõtinuauit vſque ad oppidum,nullo alio cibo ſumpto. Obſeruarunt ſocij poſt Euchariſtiæ refectionem alacriorem,& validiorem redditum, quaſi illa vires ſuffeciſſet; idq; apparuit, cùm in oppidum venit, & Eccleſiam ingreſſus,centum fermé Indos partim baptizauit, partim confirmauit.

Tranſeunti Coaellio Calangum (duo ſunt pagi) occurrit Indus, qui dixit opus eſſe traiectu fluuij Malæ rapidi, & profundi. Ferre iuſſit ſuppellectilem, cum mulis onerarijs. Nondum aquæ creuerant, ſed in tranſitu creſcere cœperunt. Multi periclitati ſunt, nemo perijt. Archiepiſcopus ſeriùs maiori periculo traijcere voluit,ſed tenuerũt Indi, qui cum eo manſerant,quòd dies inclinabat,& flu-

uius

uius intumeſcebat. Fuit qui ei obtulit equum validum,& agilem, monens, vt traijceret. Verùm ille aliud ſecutus conſilium, maluit ibi noctem traducere,& ſi neque lectum, neque menſam haberet. Iacuit humi ſuper pallio. Puluinar ei ephippium mulæ fuit. Cœnaturienti vnus panis, qui ſolus apud Indum inuentus, oblatus fuit ſuffecit. Acceptum in quatuor partes diſtribuit. Vnam Sacellano, alteram ſecretario, tertiam ipſimet Indo dedit. Vltimam ſibi reſeruauit. Igne adhibito officium recitauit. Poſtea quieuit. Vix dum cęperat, cum effuſa pluuia eum madefecit, ſtrigilibus feſsum caput obnupſit. Illuxit ſereniùs: ſurrexit, & ſumpto baculo pedes iter fecit magno circuitu ad quærendum pontem inde longè diſtantem (quia fluuius intumuerat nocturnis aquis) & ipſum periculi plenum, quod é funibus erat compoſitus male connexis, quo tandem ſuperato ad oppídum peruenit. De more contendit Eccleſiam, vbi expectabatur auidiſſimé. Magna frequentia populi. Fecit: Confirmauit oblatos, hortatus eſt audientes. Finijt hora verſpertina; tum pranſum,& cęnatum ijt. Accubantem ſecum Parochum fratrem Mercedariũ interrogauit: vtrum eſſet quiſpiam, qui confirmatione careret? Cunctatus ille paulúm ſuſpicionem mouit Toribio quenquam deſiderari, ac ita efficacius: *Nè me, quaesò, celari hoc velis, Pater, deeris enim tu officio tuo, ac ego meo.* Tum ille aperté dixit in eo oppido omnes confirmatos eſſe: extra

oppidum tamen duo fermè milliaria Indum inueniri infirmum, qui quòd aberat, & per infirmitatem venire non poterat, nondum cõfirmatus eſſet. Iturum eó ſe, ac ducturum. Simul ac id accepit Toribius relicta menſa, & ſemeſis dapibus ſurrexit, ac eò ſe cum ijs, quę ad id munus opus erant contulit, & in caſa repertum confirmauit, exclamans: *Benedictus Deus, qui hanc mihi mentem iniecit: non obibit hic mea negligentia ſine Sacramento Confirmationis. Nunc ad inchoatam cęnam redeamus*. Redijt, & quidem ad cœnam, nam hora erat prima noctis, cùm iterum menſæ accubuit. Hac ratione effecit, vt tota, quæ vaſtiſſima tum erat, Diœceſis Chriſtianis abundaret. Tam fuit in viſitando ſedulus, vt quieſcere non poſſet; animo etiam dum erat Limæ foras ad Indos abſentes proiecto, & quò remotiores erant, eò ſe maiori vi in eos mente effundebat. Itaque amor omnem longitudinem itinerum, & locorum diſtantiam conſumebat.

CAPVT XXVII.

Virtutum, quæ foras ad communem vtilitatem emanant, conſideratio.

ABſoluta deſcriptione geſtarum in officio Paſtoris ab eo rerum, veniendum ad exempla earum, quæ nexæ cum officio ſunt, virtutum. Primùm munera ſacra rité adminiſtrare, aſſiduè obire, Religiones tueri. Nihil omiſit ab Eccleſia præ-

ceptum. Multa inuexit ad ſingularem cultum, ornatumque Templorum, & altarium ſpectantia. Modeſtiſſimus vultu, cultu ornatiſſimus. Afficiebat pietate mentes, ſenſus magnificentia capiebat. Inducebat amorem, incutiebat reuerentiam. Frequentes in deſertis locis Eccleſias reddidit. Indos ſolitarios ferarum vagantes more Religionis vinculo ſociauit, & ad Chriſtianam concordiam, & cõmunionem redegit. Suſtulit bella, detraxit arma, ad pietatem feros, ad conſuetudinem barbaros, ad cultum inconditos traduxit. Ciues Hiſpanos è latronibus, montanos ſua pia eruditione effeciſſe diceres; eoque animis, & corporibus conſuluit. Exiſtimationem quoque peperit, & famam aſſeruit. Erant qui putarent Indos rudes admodum, & ſtolidos eſſe belluis ſimiles, non eſſe doctrinæ, & humanitatis capaces. Ille negauit; ſubtiles ſatis, & ingenioſos, ſi docerentur, eſſe. Deeſſe magiſtros, qui erudirent, eo ſe excuſari pigros: affingere ijs indocilitatem, ne laborem ſuſciperent edocendi. Ita ſtimulauit præceptores. Breui tantùm profecit, vt nõ modo diſcere, ſed & docere eoſdem poſſe appareret; vnde extitit, vt quibus ob eam ſiniſtram de ijs conceptam opinionem Euchariſtia ſubtrahebatur, deinceps frequenter præberetur. Floruit in ijs ſpinis Eccleſia. Ipſe inter Indos, perinde ac Hiſpanos ſacris operabatur. Atque vt ſpecimen aliquod afferamus, illud deſcribamus tempus, quo ea ſolent religioſiùs celebrari. In maiori hebdomada aſſi-

duus erat in Eccleſia magno concurſu Hiſpanorũ, Indorumque. Die magno Iouis manè veniebat facturus diuina. Indutus Pontificalibus ornamentis celebrabat,conſecrabat Chriſma, oleumque ſacrũ magno ſplendore. Redibat domum ad menſas. Magnam inuitabat hominum multitudinem. Conuiuium illud charitatis, verè Agapen appellabat: vna erat altior,& ornatior: cui iubebat accumbere duodecim pauperes Indos. His primùm miniſtrabat ipſe,miſſus inferens,propinans vinum. Recreatus cibo,potuque ad Eccleſiam dum veniret lotum pedes hilariter dimittebat. Cęterùm ad menſas redibat, ſuoſque conuiuas lauté excipiebat: edenteſque ſpectabat ieiunus,ſed hilaris,& feſtiuus. Poſtea ſublatis menſis, ipſe priuatim parum aloſæ ſiccatæ manducabat, & vrceum aquæ bibebat. Ita malé paſtus ad Eccleſiam redibat, & ad lauandos ſe pedes Indorum accingebat. Peluim aqua impleri odorifera iubebat,vt ſolemniter ritum faceret, oſculabatur tenerrimé pedes: ſingulis veſtem lineã, & ducatum donabat. Deindé lectioni Bullæ intererat. Denique Officium tenebrarum in choro peragebat. Sub noctis conticinium buccellam panis cum aqua ſumebat: ſub gallicinium ſupplicationẽ ad omnia ſacra puluinaria cum duobus famulis faces prelucentibus faciebat. Die Veneris ſancti proximo,ſummo mane redibat in templum, & coram ſacroſancta Synaxi orabat tamdiu, donec inchoarentur Diuina Officia, quæ vel ipſe obibat, vel

illa obeunti aſſiſtebat: nec ea die quicquam prę-ter panem, & aquam deguſtabat. Hinc argumentum ad reliqua. Animas Purgatorij ſuffragijs quà priuatis,quà publicis iuuabat. In omnibns feré Eccleſijs ſodalitia ad earum ſubſidia inſtituebat. Prędicabat ſæpé tanta energia, vt omnes ad pietatem, & dolorem peccatorum commoueret. Solitus erat commemorare illa verba: *Iudicium, Infernus, Aeternitas,* eo habitu corporis, & ſono vocis,vt in ecſtaſim raptus videretur. Humanitate, & manſuetudine ſumma erga omnes vtebatur, ac præcipué erga Indos, quos ſicut filios diligebat: atque adeò cunctis ſeſe patefacere,nullum contemnere, omnes conciliare, vt nihil eo eſſet amabilius. Illud ei multos deuinxit, quod occulté factum exijt tamen in vulgus. Indus ſenex ægrotus, quem inuiſebat,lecto carebat: obſeruauit id, & ſuum dono miſit: quæ res á multis prædicata magnos vbique fecit clamores. Solebat cùm iter faceret ſuos ſecum Sacellanos, & cantores deferre, & nocte ingruente cum ijs ſacras Deiparæ Virginis Litanias decantare. Hoc auxit rem publicam,quòd cum Proregibus,qui ſui Archiepiſcopatus tempore illud Regnum gubernarunt tam ſe geſſit prudenter, vt cum nemine illorum (ſi illas offenſiones cũ Marchione Cagnetti excipias) vllas ſuſceperit contẽtiones; quod eo fecit,vt beneuolos erga Indos redderet,ac liberius inſtrui, & exceri ad fidem, & virtutes Chriſtianas poſſent. Atque hac prudentia mirè & eos conciliauit, & Indis

profecit. Multum quippè in vtramque partem momenti ſenſerat eſſe in eorum Principum voluntate. Quinque fuerunt ſuo tempore Proreges, D. Martinus Henriquezius, D. Ferdinandus à Turribus,& Portugallia Comes de Villar,D.GarciaHurtadus à Mendoza, Marchio Cagnetius. D. Ludouicus à Velaſco,poſtea Marchio Salinarum, D.Gaſpar à Zugniga,& Azeuedo. Omnibus valdé gratioſus, & venerabilis fuit,nulla vel ſimultate, vel offenſione interueniente, exceptis ijs, quas cum eo ſuſcepit, cauſa Seminarij, quod erigere voluit, Marchio Cagnetenſis;imó in tanta apud omnes reliquos in gratia fuit, vt de eo fouendo, ac colendo inter ſe certarent. Itaque hac beneuolentia vſus Indos iam fideles officio Religionis miré continuit, infideles ad fidem pertraxit, & vtroſque magno cũ animarum profectu,ab immodicis oneribus,& vectigalibus liberauit:nec ijs ſolùm profuit, ſed etiam ipſismet Proregibus ea res dignitati, & Reipub. emolumento fuit,cùm Indi experti manſuetudinẽ, & lenitatem Principum, vt gratos ſe aduersùs illos oſtenderent, multa ſponte onera ſubirent, quæ ſibi ægré paterentur imponere. Gratum eo Regijs item miniſtris Concilij Indiarum Madritti fecit, qui nouerunt prouentus, & reditus, & mancipia augeri. Eos ſibi deuinxerat ſuis virtutibus Archiepiſcopus, adeò vt querelas de eo tàmquam de ſuſpecto Regi propter nimium erga Sedem Apoſtolicam (ſic aiebant aduerſarij) ſtudium minùs curarent, & apud

Re-

Regem minuerent, imò & ipſum ſæpè præmonuerint, vt ſibi cōſuleret, & modum, quo calumnias occurreret ſignificarint. Id Cōtrerius, & Couarruuias, & Albornozius ſummi tunc in Hiſpania Magiſtratus præſtiterunt, & Regi perſuaſerunt eum eſſe Toribiū, qui nō ſineret cogitari, nedum agi quicquam contra ius Regium. Se ſcire ab eo ſeruari, & tribui vnicuique ſuum, reddendo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Deo, noſſe duos gladios ita copulari, vt vnus alterum non frangeret, ſed foueret, & tueretur.

CAPVT XXVIII.

Priuata virtutis exempla illuſtria referuntur.

MVlta certis in locis inſeruimus: Reliquorum ſpecilegium faciamus. Humilitas, quæ dicitur, ſiue contemptio, & abiectio ſui, ea in Toribio inſignis extitit: nouerat quippe, vt aiebat, ſe miſerū mortalem eſſe, peccatis obnoxium, ad malum inclinatum, pronum ad concupiſcentiam. Niſi à Deo teneretur in labem, & hiatum peccati præcipitem iturum. Itaque ſiquid boni, honeſtiq; præſtaret, id omne Deo tribuendum: nec eſſe, de quo poſſet gloriari. Hac de ſe concepta opinione, cum timore, ac tremore ſuam ſalutem operabatur. Cauebat à vanagloria vehementer: virtutes occultabat: honores fugiebat: orabat libentiùs in cubiculo, quàm in

Ec-

Eccleſia, noctu quàm diu: caſtigationes corporis ſecretas amabat, & publicas fugiebat. Duriter cubabat, ſed ad ſpeciem mollem lectum obtendebat. Ieiunabat ſæpiſſimé, verùm menſa ſplendidiori vtebatur. Cilicijs affligebat corpus, ſed quæ ſentiret ipſe, alij non viderent. Flagellis ſe ac ſępiùs cędebat, ſed horis, & locis, quæ ſonitum coercerent. Tempore viſitationis vigilabat diutiùs, vt occaſiones captaret exeundi in ſaltus, & ſyluas, & ibi ſe flagellandi, arbitris remotis. Semel egreſſus eſt pago cum Doctore Chriſtophoro Naruaezio conſultationis de rebus ſuæ conſcientiæ gratia, & poſt longam ambulationem intendentibus ſe tenebris, eum dimiſit, rogans, iret porrò domũ, ſibi eo in loco morandum. Finxit abire ſeſe Naruaezius, & manſit latens ſub arbore frondoſa, & inde audijt ſonitum flagrorum, quibus ſe cædebat acerrrimé Toribius, diùque cædendo perſeuerauit. Mirante interim rei nouitate Chriſtophoro, & ſua peccata dolente. Ac ne ſe, ac eum conſpectus proderet, cùm iam intelligeret adeſſe finem, abijt inde, & domum redijt. Toribius cùm ſerius, nam & orare ſolitus erat, regrederetur, neminem vigilantem, quod optabat, reperit. Cúm iter faceret per oppida iam antè luſtrata, vetabat agnoſci, & diſſimulato habitu intrabat diuerſoria, ne exciperetur honeſtiùs, & lautiùs. Si luſtranda adibat, cælabat ſuum aduentum, ne expectatus cum pompa, & comitatu intraret. Non ſemel monitus fuit, ne tam ſe contemne-

ret,

ret, & abijceret, quòd eo detrahet dignitati, & authoritati Pontificiæ videbatur. At ille refutabat monentes, dicens, qui eum noſſent apud eos non egere oſtentatione, qui non noſſent apud eos nihil detrahi exiſtimationi. Cùm plura, eaque præclara opera fabricari iuſſiſſet, nulli eorum nomen ſuum inſcribi, aut affigi arma paſſus eſt, vno illo Seminarij excepto, é quo cũ ſtẽmata ſua eradi vidiſſet, non modò non doluit, ſed etiam cùm abs Rege iuberentur reſtitui, noluit reficere, nec reponere. Nihil vnquam ex ipſius ore, quod ſaperet arrogantiam, prolatum. Nec ab illo quiſquam expiſcari potuit quidquam, quod ad laudem faceret. Ita multa in ſilentio manent obruta ab eodem, & oppreſſa. Tãtùm ea, quæ celari non poterant, noſcimus: argumento multó plura eſſe, quæ nos latent, quàm quę in lucem edimus. Orationis, & meditationis diuinorum extat teſtimonium Fr. Didaci à Corduba grauiſſimum. *In officina (inquit) Orationis virtutes ſuas probabat, ea perpetua erat, & nunquam deficiebat: nec itinere ceſſabat: gradiendo figebatur in Cęlo mobilis pedes, mentem fixus, incedebat inter homines, & apud ſuperos habitabat. In magna & mole, & turba negotiorum liberè ad Deum mente euolabat, nec ab eo intentionem mentis ſeparabat.* Quòd attinet macerationem, & caſtigationem corporis ſeuerior, & acerbior viſus eſt pleriſque, qui ſe ipſis metiebantur illum, & extra mediocritatem exire iudicabant, quod mediũ ſuo iudicio æſtimabãt: Sunt qui tam arctos, & anguſtos terminos virtutis ponunt, vt cùm parum ab vno extremo ad aliud declinant, medio tranſmiſſo, ad

exceſſum tranſijſſe ſe putent. Hi accuſarent Alexandrum temeritatis, Artaxerxem prodigalitatis, Anachoretas noſtros immanitatis. Nō ſunt facinora ab ignauis,non dona ab auaris,non macerationes corporis à delicatis æſtimandæ.Gigantis inceſſum, nani exceſſum credent. Sed illi iuſtos paſſus edunt. Fortiſſimus erat Atleta in hoc ſtadio virtutis Toribius:eius viribus congrua erant facta. Armabat ſe contra ſe cilicio præfixo clauis ferreis, eo pungebat altè corpus, & ſanguinem interdum eliciebat. Interdum integro é ferro aſperato nodis thorace ſe induebat,quod horas viginti quatuor tolerabat,eoque ſe habitu diebus ſolemnioribus veſtiebat. Lecto vtebatur aſpero, & vili nocturno, ſplendido, & molli diurno. Die qui videret ornatum cerneret, qui nocte tabulatum humile, oſtragulo laneo, puluillo ligneo inueniret. Cúm iter faceret ad ſpeciem deferebat culcitras,& lodices: ſed re,cùm erat cubandum,tapetum pro lecto, & ephippio pro ceruicali habebat. Ac ne mutatio lecti deprehenderetur, ſimul ac ſurgebat auferebat nocturnum, & ſupponebat diurnum. Cùmque nonnulli illum, quòd parum ob loci incommoditatem dormiret arguerent repellebat eos monſtrato lecto. *En, (inquit) lectus, deſinite id ſomniare. Bellè quieſco.* Longiſſimé quidem ille ab hypocriſi abfuit, ſed certé in lectum eā admiſit;alius erat,alius videbatur. Acuté in hanc rem luſit quidam Hiſpanus, qui hoc ſchema in eius exequijs inter alia pro funeris hono-

re poſita exhibuit. Lectus erat mollis, & ornatus ſané Pontificius, ſed omninò & intactus, & vacuus, addito lemmate, quod quia Hiſpanicé dicitur *Cama*, fęminini generis eo ſēſu mirū quiddā leporis, & ſalis habet. *Quomodo tu illibata virgo manes?* cui aliud reſpondebat: *quoniam virum non cognoſco.* Quamquam id eſt acumen audaculum propter accommodationem Sacræ ad delicias grammaticales ſententiæ. Menſa lecto congruebat parabilis, & pené fortuita, niſi ſi quos comitatis, & hoſpitalitatis gratia inuitabat. Carnibus in diebus ab Eccleſia vetitis ſemper abſtinuit. Vno tantùm ferculo contentus ieiunabat, eoque vili, ex herbis plerumque comparato. Raró veſcebatur piſcibus, quòd ſi veſci contingeret, nihil condimenti adhibebat. Oua, & lacticinia diebus ieiunio ſacris guſtauit numquam. A bellarijs, & cupedijs vehementer abhorruit. In regionibus ſaccaro abundantibus abſynthia colligebat. Miſcere amara dulcibus, iucundis inſipida; ſæpè fercula cineribus ſpargere. Si quid conditius apponebatur, alteri donabat. Auium eſum fugiebat, ſola carne bubula, & veruecina vtebatur. Semel ei oryzi patinam ieiunanti appoſuerunt, lacte infuſo ad guſtū. Miratus quæſiuit, quid rei eſſet? Reſponſum, amygdalarum ſucco eſſe conditam. Senſit, & infuſo toto é ſalino ſale corrupit. Siquid in ferculis piſcium craſſum, ſucculentumque reperiret, eijciebat, eo prætextu, quòd aliquid butyri eſſet immixtum. Artocreata, placentas, offas, ſcriblitas numquam in os

X ad-

admiſit;quicquid ad palatum faceret,oderat. Edebat tantùm vt viueret: potus par cibo, parcus, & ſtatus. Vnus ei crater tribus ſinubus conſtans apponi ſolitus vino aqua diluto plenis,ternis ſorbitiũculis bibebat, dicens ſe Sanctiſſimæ Trinitatis memoriam renouare: eo numero ſacratiùs extinguebat ſitim. Ex inedia interdum paſſus deliquia, ſed cauſam diſſimulabat. In Eccleſia cum quadrageſimali die cecidiſſet, rectum rogarunt ſui, vt ſe aliquo cibo reficeret;noluit. Ex nimia ita ſe abſtinentia extenuauit,vt ſola pelle,& oſſibus videretur cõſtare. Fidem inediæ anatomia fecit. Defunctus de more ſciſſus,& exenteratus penè inanis apparuit inteſtinis tenuiſſimis, & tactum fugientibus. Atteſtantibus medicis, nulla ſe ciborum inueniſſe veſtigia.

Innocens hoc,ac tenue corpuſculum crudeliter, ac frequenter macerabat. Singulis ferijs quarta, ſexta hebdomadis, & feſtorum vigilijs ſe flagellabat vſque ad ſanguinem. Parietes notis rubris eam lanienam ſectantibus. Flagra é catenis minutulis conficiebat. Domi in abdito ſe cædebat. Foris cùm viſitabat Prouinciam, & in abſtruſo nemorũ, & in occulto cauernarum. Interdum in campo ſeceſſu ad id quęſito,extra conſpectum, auditumque. Obſeruatũ ab vno ſocio itineris, eum noctu ſurgere ſolitum, & cæteris ſopitis ſeſe ſubducere, & in nemora ſe inſinuare,ibique ſe vehementer cædere. Mirari Indi gnari locorum hominis fidentiam, qui

ſolus in ſyluas inuias ſe abderet, leonibus, & vrſis plenas, nec quicquam ſibi ab ijs timere, ſed minus illæ feræ in eum ſæuirent, quám ipſe in ſe animaduertebat. Itaque feræ, quæ ferociores ſolent fugere, eum tamquam ſe ferociorem vitabant, & eo viſo aliò fugiebant. Seueræ caſtigationis notæ vibices, in tergo erant, quæ vſu continuo flagellandi in puſtulas crepuerunt, & in purulentum virus erumpentes ei periculum crearunt. Cælare rem domeſticis voluit, ſed non permiſit, quòd ſerpebat ad inteſtina malum. Aperuit ergo rem Vincentio Roderico ſecreto ſuo eleemoſynario, qui cum multa intima communicabat, is chirurgo opus eſſe dixit. Accitus eſt Ioannes Perezius vir probus, & peritus, qui cùm lanienam illam vidiſſet, expauit, ac non minus ſtuporis concepit, cum adhibitis acerbis pro mali graſſantis pernicie remedijs vidit Toribium immotum omnia pertuliſſe, quaſi non ſua, ſed aliena caro præcideretur.

CAPVT XXIX.

Caſtimonia, & integritas animi, corporiſq; expenditur.

HI cruciatus, hæc ſupplicia, hæ caſtigationes, ſpinarum inſtar Roſam virginitatis & indicabant, & conſeruabant; ac quemadmodum ſentes roſam ſtipant, eique ſatellitium formant, ita illi ciliciorum aculei, & flagrorum ſtimuli virgineum

florem cuſtodiebant. Qui illa ſpinoſa inſtrumenta videret, Roſam ibi eſſe conijceret. Separemus, ac ſeponamus vepres: florem caſtimonię, & integritatis inueſtigemus. Ex odore modeſtiæ, ſolitudinis, timoris, orationis facile erat agnoſcere roſam illibatam, & intactam virginitatis. Quæ cum eo nata eſt, eam ſeruare conſtituit. Itaque à puero pudorem, & verecundiam præ ſe tulit, modeſtiam affectauit, ſilentium coluit, ludos fugit, commeſſationes vitauit, oculos compeſcuit, riſus compreſſit, iocis abſtinuit. Mulierum conſpectum, & colloquium cane peius, & angue oderat: idque à primis annis profeſſus ad finem vſque ſeruauit. Siqua fœmina ad eum vel negotij, vel litis, vel eleemoſynæ cauſa veniebat, admittebatur quidem pro officio, ſed coram alijs audiebatur, & audita dimittebatur. Omnia, quæ ad eas attinebant, die expediebat, vt veniendi ad ſe nocte anſam præcideret. Monaſteria monialium, quarum habebat curam, viſitabat quidem, ſed foris omnia tranſigebat, intra clauſtra nũquam eſt ingreſſus. Si quid oportebat intus agi, idoneas eò perſonas mittebat, qui vel per ſe curarent, vel ad ſe vt curaret remitterent. Semel accidit, vt occaſione tuberculi in manu enati fœminã nobilẽ, ac peritã eius artis monitu amicorum ad ſe adduci pateretur. Voluit illa manum recognoſcere: monſtrauit; cùmque illa vellet ire vlteriùs, & tangere, reſilijt, & perterritus retraxit manum, & in ſuum ſe cubiculum fugientis more recepit, exclamans

Hem

Hem? Manum ſibi fœmina à me viro porrigi volebat? id ego certè non feram: nec vlla me hactenus mulier tetigit, nec deinceps tanget. Et quidem ille tactum illum contagium appellabat. Torpedini ſimilem eſſe, qui à manu ſeſe diffundens, totum corpus corrumpit, & eneruat. Rurſum inter viſitandum contigit ad fluuium rapidum peruenire, qui collectis imbribus niuis intumuerat, & ingentem aquarum molem trahebat. Comitabantur eum Indi plurimi é vicinis pagis, ac inter eos paruulus. Horum miſertus, iuſſit ſuperiùs ire, & quæri vada. Inuenta ſunt in planitie, per quæ tamen flumen ſtagnauerat. Non poterant per ea pueri ſine incommodo incedere. Igitur imperauit ſuis, vt ſinguli ſingulos in equum a dorſo imponerent, ac ſecum tutò veherent. Actum è præſcripto. Obtigit fortuitò vnus decennis Archiepiſcopo, qui in ſortem cum cæteris venerat: exiſtimarunt eum maſculum eſſe, nec habitus pro more gentis diſcrepabat. Detulit eum ſecum Archiepiſcopus ignarus ſexus. Parum proceſſerant, cùm ipſe equitantem interrogauit, cuias eſſet, & quo nomine appellaretur: vix dum audito, & comperto fœminam eſſe, validè exclamauit, illud onus inde extraherent. Accurrere ſocij turbati, ne quid ei ſiniſtrum accidiſſet, cùmque intellexiſſent cauſam clamoris, depoſuerunt puellam, & puero ſubſtituto abierunt. Nonnullis ridentibus caſum, & iocantibus; Toribius ſeriò, non riſu agebat: ac de ijs leuiculis, vt illi aiebant, nimis grauiter curabat. Quæ qui expen-

dat,

dat,minus mirabitur,quod in alio multùm miraretur. Iuuenis cùm eſſet Salmanticæ operã ſtudijs nauauit;æquales,& coætanei cùm eũ tam continentẽ viderent,ſiue inuidia,ſiue ioco,ſiue tentandi gratia captata occaſione fęminam egregiæ formæ in eius cubiculum introduxerunt, ſpeculati quid ageret. Ille inopinus ingreſſus,ea viſa, tamquam ſpectro aliquo inſpecto cohorruit, & in queſtum cúm gemeret prorumpens retrò abijt,& fugit,ac omnes in admirationem conuertit. Cum ſorore ſua Grimaneſa ita ſe geſſit,ſicut S. Auguſtinus cũ ſua, vt numquam cum ea ſola loqueretur, nec vllas cum ea in domum vel officij cauſa venientes admitteret, vt omnis ſuſpicionis anſam tolleret. Secum tam erat ſeuerus,& cautus, vt nemini ne intimo quidem pedem, brachiumve nudum oſtenderet. Ipſe ſe ſpoliabat, ipſe veſtiebat nemine præſente; idque ſolemne habuit dum ſanus vixit, & ſanè dum vixit, excepto lethali morbo,ſemper valuit. Eamdẽ,quã profitebatur modeſtiam ſuis iniungere, nullum aut inuerecundum, aut intemperantem admittere, ſi quem admiſſum comperiebat ab officio receſſiſſe domo reijciebat: non iracundé tamen, nec tumultuosé, ſed pacaté, & tranquillé, vt intra pœnam eſſet,ac extra infamiam expulſio. Conſtans itaque apud omnes fama eſt, cui multa idonea eorum, qui cum eo à teneris vixerunt, teſtimonia fidem faciũt, virginitatis florem illibatum, intactumque ſeruaſſe: nec id difficile viſum erit ijs, qui eius vitæ teno-

rem,

rem, miramque probitatem perpenderint. Quinimò ipſius oris habitus, & corporis tolus ad modeſtiam, pudoremque compoſitus, id muto quodam, ſed venerabili ſilentio teſtabatur. Sunt qui dicant expertos ſeſe quiddam ab eo caſtimoniam redolens efflari, quo ipſi narrantes ad eam virtutem affici, trahique ſentiebant.

CAPVT XXX.

AEgrotat periculosè, obit ſanctè, ſepelitur piè, transfertur ſplendidè.

COnfectus annis, laboribuſque, in morbum incidit, quem medici é ſignis mortiferum iudicarunt. Is, quod mirum ſit in homine propè ſeptuagenario, primus, ac vltimus fuit, ideoque periculoſus. Solent quippe qui numquam ægrotant, à primo quem contrahunt morbo penitùs opprimi, quem quod valida, & robuſta natura vitare nequit, eo obrui neceſſe eſt. Exierat Lima luſtrandi tertium Prouinciæ causà. Proceſſerat vſque Sagnam paulò ante maiorem hebdomadam, ac quod illius functiones obire rité, ac lenté volebat, viſum ei eſt opportunum hoc oppidum, alioquin inſalubre, eo præſertim tempore, quod pro ingenio locorum, ſolet eſſe calidiſſimum. Deterrere illum à propóſito comites voluerunt, & ad vrbem Truxillum haud procul ſitam, cogitarunt iter deflectere. Idq; ſua-

de-

debant conſcij periculi: ſed illi perſuadere non potuerunt. Ingreſſus oppidum fuit iam febricitans: ibi creuit intemperie cœli febris, ex qua decubuit. Præceptum eſt ei à medico, vt carnibus veſceretur. Horruit vehementiús, quàm cùm correptus eſt morbo, quòd iam intra Maiorẽ hebdomadam quadrageſima erat. Reſtitit quantum per conſcientiã licuit, ſed inſtante medico, neceſſe fuit obedire. Religio truſit Religionem. Miſit quemdam é ſuis ad Parochum, qui ab eo veniam edendi carnes ſuo nomine impetraret. Deinde cùm iam vitæ periculum præſenſiſſet, iuſſit eleemoſynas Eccleſiæ, Cœnobijs, & pauperibus erogari. Breui apparuit diſcrimen. Itaque deſperatum medicus iudicauit, & edixit in publicum. Pollicitus fuerat antea Toribius qui ſibi primus mortem annunciaret, eum à ſe amplo præmio donatum iri. Igitur Ioannes Sacellanus ad eum adiens interrogauit, vtrum illius promiſſionis memor eſſet; cui cùm annuiſſet, tum is: *Redde mihi ergo præmium boni nuncij; nam prorſus breui morieris.* Quo ille audito, *Reddam*: & ad cœlum ſublatis oculis, & manibus illud initium Pſalmi lacrymans cecinit: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi; in Domum Domini ibimus.* Ac ſtatim accito domus ſuæ Præfecto, iuſſit reddi mercedem Sacellano, & plorantem, ac detrectantem coegit accipere: præterea iniunxit, vt inter domeſticos ſuam, quantacumque eſſet, ſuppellectilem diſtribueret: nec enim nummos ſecum, niſi pauciſſimos detulerat. Reditus

om-

omnes ad id tempus decurſos cum ſuo Pontificali ornatu, & aulæorum, & cimmeliorum apparatu pauperibus aſſignauit. Creditores eos ſuos appellabat. Teſtatus eſt, velle ſe vt corpus ſuum Limam deportaretur in ſua Cathedrali ſepeliendum: excepto corde in D. Claræ tumulando. Hęc eius ſuprema voluntas fuit: nec alio teſtamento militi Chriſti, & pauperi opus erat. Tunc expiato rité, accurata exomologeſi animo, de accipiendo viatico cogitauit. In quo ille certé magnum pietatis ſpecimen præbuit. Nam in Eccleſiam duci ſe exiguo in grabato incluſum iuſſit, & ibi in angulo quodam deponi, quòd diceret: *Viaticum extra domum ſuam oportere, à viatore ſumi, ſeque dignum haud eſſe, quem domi ſua Dominus viſitaret.* Ita magna cum vi lacrymarum manantium illud accepit: domum reductus Extremam Vnctionem petiuit; qua ſe ad vltimam luctam Atleta Chriſtianus præpararet. Edixit priùs cęremoniarum librum inſpici, vt religioſè adminiſtraretur Cùmque miniſter, & comites inquirendo cunctarentur ipſe, accepto libro locos digito indicauit, quod omnes in numerato haberet. Dum à Parocho vngebatur, multos, & ardentes contritionis actus elicuit, Fidei Symbolum ſæpiſſimé recitauit. Illa verba Apoſtoli frequenter intonuit: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Famulos, & domeſticos vbertim plorantes ſuauiſſimis verbis ſolabatur. Se illorum apud Deum curam habiturum affirmabat. Illuxit feriæ quintę maioris ſacer dies. Summo mane ap-

Pellari iuſſit Sacellanum, cumque eo diurnum horarum penſum ex integro abſoluit. Adiecit alias voluntarias preces, quas dicere diebus ſingulis erat ſolitus: ac ijs confectis, paulùm requieuit. Sub meridiem dimiſit omnes, vno excepto, qui adeſſet, & prandere iuſſit, ſibi melius inde fieri affirmans. Paulò poſt à vicinis auditus eſt quaſi cum aliquo expoſtulare. Cùm acceſſiſſent ad oſtium, hæc verba perceperunt: *Quin tu hinc abis? importunus iampridem mihi es, ac moleſtus. Abi actutum. Apage te hinc.* Ex quo ij coniecerunt cum diabolo litigare. Poſt prandium reditum in cubiculum ægrotantis, ac morti iam proximi; ſed ſui tamen compotem, integris ſenſibus, & voce valida, ac ſereno vultu, hilari facie conſtantem inuenerunt. Aderant circa lectum ſocius viſitationis, eleemoſynarius, & ſacellani, & domeſtici plures, ac nonnulli viri Religioſi, quibus ille familiariter vtebatur, quos cùm mœſtos, plorantesq; vidiſſet, paulò commotior factus, ſic ad eos:

Quorſum (inquit) hæ amici lacrymæ? lugetis meam ſortem? iniuriam facitis & naturę humanæ, & mihi: naturæ, quod mors debitum eſt, quod naturale ſoluendum eſt legi, qua naſcimur. Mihi, quòd cùm libenter moriar, vos dum lugetis, inuitum me mori ſignificatis. Felicitatem meam fletu corrumpitis. Sinite me lætum diſcedere, quò & natura ducit, & Fides & gratia appellat. Spero me ad vitam illam iturum, quæ mortis eſt ignara. Tranſeo, non pereo: nec acerba ſeni eſt mors, nec importuna patri. Filios ego vos meos præcedo. At morior (inquitis) extra Limam, in itinere, in pago; id mihi gloriæ duco. Chriſtus extra vrbem natus, extra vrbē mortuus, in aere excluſus à matre communi terra, ſuſpenſus cruce in Caluario monte ſummis cum cruciatibus, maxima infamia; quantò leuiora

ſunt,

ſunt, quæ vos doletis. Eo me, voſque demum conſolor, quòd morior vti Paſtor, luſtrando meos viſitatione ſpirituali, ortus memor illius, qui viſitauit nos oriens ex alto. Hunc imitari gaudeo, qui viſitaui vos moriens ex animo in occaſu; ne flete, quos mecum lætari oportet. Sinite me alacriter ex hoc carcere exire, & ad meum Chriſtum auolare. Atque vt conſtet verum eſſe quod cecinit ex Pſalmo: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi; in domum Domini ibimus. Rogo te Pater, &c.* ad Religioſum quemdam conuerſatus, Priorem Ordinis S. Auguſtini, qui peritus erat muſicus, & ibi cum Pſalmis aderat) *vt mihi iam iam morituro accinas illum Pſalmum; Credidi propter quod locutus ſum.* Paruit, & dum canebat, Archiepiſcopus firmo obitu Chriſti Crucifixi effigiem intuebatur, magno ſuo, & aliorum ſenſu pietatis. Peracto cantu, reuoluit oculos ad tabulam SS. DD. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & profeſſionem fidei emiſit: poſtea iuſſit cani Symbolum Apoſtolorum, quo finito petijt iterum ab eodem Fratre, vt pſalleret, caneretque alium Pſalmum: *In te Domine ſperaui*; quem tamdiu audijt, donec perueniret ad verſiculum: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*; ibique efflauit animam placidiſſimè. Die Iouis ſancti hora ſeſquitertia poſt meridiem, qua hora ſolebat lauare pauperum pedes in Eccleſia: anno ſuæ ætatis 68. Archiepiſcopatus 25. Domini 1606. Exeunte in vulgus mortis eius fama, ingens in oppido eiulatus fuit. Omnes ad corpus concurrere: quod ſtatim à morte ſectum, & conditum, mox veſtitum more funereo, & palàm expoſitum. Illud viſendi, & tangendi grâtia maiori quàm pro magnitudine oppi-

di conuentus eſt factus. In eum intuiti obſeruabant miram quamdam pulchritudinem, quæ animos ad pietatem ſtimulabat: videbatur illa elegantia, & oris ex animi beatitate deciſa. Odor ſuauiſſimus è membris efflabatur, qui totam domum replebat. Augebat admirationem veſtitus nouitas, & maieſtas. Trium Religionum, quas impensè amabat, habitu indui voluit, Dominicanæ, Franciſcanæ, Auguſtinianæ, ac ſuper omnes Pontificius eminebat. Ita ſepeliri ſe mandauit. Ea ſpecie, iuſta tamen adhibita cuſtodia manſit vſq;ad diem Sabbati ſancti, quo die veſperi Solis ad occaſũ corpus elatũ eſt, & magno clamore, & plauſu populorum ex vicinis locis confluentium, & Sanctum palàm, apertéque vocantium ad Eccleſiam ductum: ibique in loco idoneo ad id fabricato depoſitum eſt. Breui Limam nuncius peruenit, quo tota ad gemitus, & lacrymas ciuitas conuerſa eſt. Cymbala ſigna feralia dederunt. Omnes omnium ordinum perſonæ iacturam tam ſancti, & amabilis Paſtoris dolebant. Amiſiſſe oues Paſtorem, liberos Patrem, viduas cõſolatorem, pupillos tutorem, pauperes patronum, miſeros refugium, afflictos ſolatium, infirmos ſubſidium, mœſtos ſolamen, vinctos liberatorem. Hoc ipſum dicere reliqui, ad quos fama obitus perueniebat. Poſtea ei indicta iuſta, quæ reddita ſunt ſolẽniter in Cathedrali certé magnificé. Laudationem habuit eo themate: *Ecce Sacerdos magnus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* D. Fr. Ioannes Pere-

zius Spinola Ord. S. Franciſci Epiſcopus Chilenſis, eumque Sancti Archiepiſcopi nomine communi omnium approbatione appellauit.

Anno poſt obitum ſtatuit Eccleſia Limenſis trãſferendum ex oppido Sagna Limam corpus eſſe. Aberat leucas fermè nonaginta. Suſceptum tamen iter tredecim é Clero, vt ſacer numerus eſſet, Scholæ magiſter, ac duodecim Presbyteri cum magno, & nobili comitatu. Arca impoſita, & inſpecto corpore, integrum omninò, ac incorruptum repertum odoris mira halante fragrantia. Vultus ſerenus inter grauitatem, hilaritatemque, labia rubra, frons nitida, palpebræ leues, capilli compti, & modici, manus molles, & tractabiles, ceruix lactea, crura flexibilia, truncus corporis toroſus, & ſucci plenus. Barba multò quàm cùm ſepultus fuit, prolixior: quod obſeruatum fuit à pluribus, quaſi Deus eo vellet declarare Aaronis illum barbam repræſentare, in quam vnguentum charitatis deſcendiſſet, ſiue barbatum illum fuiſſe cęleſtis doctrinę magiſtrum: certé illa venerationem conciliauit. Habitus omnis generis nitidus, & terſus perinde ac recéns impoſitus. Pontificalis veſtitus viridi colore reſperſus, ob humiditatem forté loci, ſpem futuræ gloriæ videntibus affirmabat. Extractum, ac exceptum brachijs ad portam deportarunt: vbi erat lectica parata ornatu idoneo. Limam ijſdem, qui inde venerant eò vſq; comitantibus latus. Quacũq; tranſibat, excibat ex oppidis, e pagis populos, qui ad

illud

illud [illegible] miro ſtudio concurrebant facibus accenſis, & prælatis Roſarijs interdum oblatis & floribus, & odoribus. Lacrymæ, gemitus, queſtus, preces agitabant turbam. Omnium vna vox, inclamantium ſanctum Paſtorem.

Peruentum Limam ad S. Dominici, vbi ingens & ornatum, & ſublime erat tabulatum veſtitum tapetibus, & periſtromatis nigris, multis hinc inde ac in orbem luminibus diſpoſitis. In eo collocatum diu oculos ſpectantium tenuit, & in fletus inuitauit. Bidui mora fuit, ſed cum iuſta cuſtodia, quæ obſtitit, ne lacerarentur veſtes, & corpus diſcerperetur: quæ enim erat auiditas, pietaſque populi in illud inuolarent, & minutatim ad vſum reliquiarum conciderent. Exacto biduo magna inde concurſu, comitatuque, præeuntibus omnibus Religioſis Ordinibus, & Clero, Capitulo, vrbis Magiſtratibus, & ſubſequenti Senatu, Proregis, qui obierat, vicem gerente, ad Eccleſiam Cathedralem delatum. Eo in medio expoſito, exequijs ſolutis, ei ſolemniter parentatum. Habuit concionem D. Petrus Mugniſius eiuſdem Eccleſiæ Decanus; qua finita, corpus in quodam Sacello interim depoſitum fuit, dũ ſubter Aram maximam ſepulchrum arcuati operis excauabatur. Tertia iſta translatio haud minùs fuit memorabilis. Operæ pretiũ erit eam verbis P. F. Didaci à Corduba eiuſdẽ Archiepiſcopi vitę ſcriptoris deſcribere; quę ſunt eiuſmodi: *Multis poſt annis translatum fuit illius corpus ad Sacellum quoddam ſubterraneum:*

ac

ac in extrahendo inuentum eſt illibatum, ac viuidum, & odoriferum. Adfuit cum maxima parte Cleri, & nobilitatis Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus D. Bartholomæus Lupus Guerrerius, eius in Archiepiſcopatu ſucceſſor, qui ea re inſpecta in lacrymas erupit, beatum ſeſe appellans, quòd tam ſancto Paſtori ſucceſſiſſet. Nunc (ideſt anno MDCL.) ſita eſt vrna, ſiue capſa ſacri theſauri illius corporis ſubtus Aram maximam incluſum capſa in excauato ſinu operis arcuati.

CAPVT XXXI.

Mirabilia nonnulla enarrantur, quæ in Toribij Vita contigerunt.

INcipiamus ab ea, quæ virtus dux eſt, cuſtoſque virtutum. Orãtem ſæpè domeſtici viderunt luce clariſſima circumfuſum, ſtellã in fronte coruſcãte, quæ inde in orbem radios diffundebat. A Sole haud dubié, quem precabatur, orta, ac non nocturna, ſed diurna, quòd vel meridie micabat. Interdum cum eo in cubiculum ſolo incluſo affuit, Diuina penſum reddente auditi ſunt Angeli chorum agentes. Non multùm ab Angelis diſſentiebant qui ei concinebant. Hæc domi, & in tuto. Illa foris, & in periculis. Laymebambæ, quod eſt oppidum Cachapoyarũ accidit, vt mula vectus ſumpto præ manibus Breuiario viam paulò ante reliquis ſequẽtibus arriperet. Fortè deuiante mula, ac ipſo precibus intento aberrauit itinere: quę paulatim incedens, ad rupem præruptam, & pręcipitem deuenit; vndé certum erat vel latum pedem procedendo in enormem labem exitium. Iam mula anterioribus

pe-

pedibus aerem feriebat ſolis nixa poſterioribus, cúm Indus inopinatò accurrit,& apprehenſo fręno mulam momento in latus egit, & in ſolidum reduxit. Miratus Toribius, qui periculum ſenſerat, ſecutus eſt Indum deducentem,donec ad rectam viã ventum eſt. Cùmq; vellet ei Archiepiſcopus gratias agere, & præmium reddere, non comparuit. Attonitus iuſſit quæri à ſocijs: ſed fruſtrà quippé nuſquam fuit inuentus. In rei memoriam Crux eo loco defixa, quod inſtrumentum ſalutis, cùm ſit idoneum, erat beneficij acceptę ſalutis monumentum. Similis eſt ille apud Pattaſcam euentus. Vocarunt Indi quidam multa nocte Parochum ad excipiendam confeſſionem ægroti moribundi in antro Guaycum appellant agreſtium Indorum domuncula. Caſu aderat Archiepiſcopus:ac re comperta, dixit ſeſe velle, quòd Paſtor erat,ſuam illam ouem purgare: & quamvis reluctantibus cunctis domeſticis profectus eſt mula vno duce. Nox erat illunis,& obducta nubibus. Aberrauit à via, & in locum præciſum à cæteris,& abruptum venit. Pené præcipitantem auertit Indus oblatus, & mulam auexit,ac vtrumque periculo exemit. Indus abijt in ventos. Hic vidit liberatores. Alibi ſenſit, nec vidit. Quieſcebat á labore longi itineris matutini ſuſcepturus veſpertinum, putabant comites ſeriùs exiturum;ſed ille paulò poſt cum vno ex ijs ſumpto Breuiario egreſſus eſt,& in viam ſe dedit, & ſecum reliquos eduxit. Vix dum exierat,cúm tota domus

ingenti fragore corruit nemine periclitante, ſed imminens periculum timidè cogitante. Iter faciebat ſolus cauſa precum per conuentum Moyobambę; incidit in duos ferociſſimos tauros, qui eum pertinaciter ſecuti mortem minabantur. Ille in loco aperto deſiliens de mula, in ſaxum humile aſcẽdens, eam reliquit obnoxiam ſequentibus. Illi tamen innocui tranſierunt, vtroque illęſo. Signum miraculi fuit, quod illo die arbuſculum in ſaxo enatum radices egit, & paulatim in prægrandem arborem euaſit, quæ hodieque ſuper ſaxum viſitur, & Arbor Archiepiſcopi appellatur. Non minùs mirabile illud aliud euentum fuit. Prope Totaponum ingeniculatus recitabat Horas Diurnas, cùm immanis eum Taurus inuaſit cum horrendo mugitu. Reſpexit eum Toribius. Stetit ille, ſed ſpecie inuaſuri terram pedibus excauans, vt pararet ſepulturam. Non ſe mouebat Archiepiſcopus, nec Taurus deſiſtebat. Interim ſuperuenit ſeruus eiuſdem, qui Tauro lapidem in frontem impegit, quo ille ictus concidit, & locum dedit Archiepiſcopo elabendi. In oppido Populi Palláſquæ, cúm luſtratione confecta de more deſcendere aliò voluiſſet, rogauit Curio, ne abiret, quód nox inſiſtebat, & pluuia impendebat, & fęda tempeſtas comparabatur. Ille obſtinatus receſſit; continuó ſudum extitit, & illæ minæ ceſſarunt. Nox illuſtris expediuit iter, ſumma omnium admiratione. Aſcendentem per prærupta in culmen præceps mula deduxit, & cecidit

excuſſo Archiepiſcopo, qui reſtitit lapſans, mula præcipitante ad infernas fauces vallis profundæ, vbi mortua remanſit. Iterum ſemita impedita incedens, quam prope ſubterfluebat amnis, delapſa mula eum ſecum duxit. Verùm ad radicem quamdam hæſit Archiepiſcopus lapſus, crure ſuppoſito mulæ cadenti. Ingens erat periculum, radix quippé debilis erat, nec diu poſſet tanto ponderi reſiſtere, & crus affligeretur, ſi auxilium tardaret. Id Deus prouidit. Socij citó adfuerunt, & apprehenſum extraxerunt, ne mula ſecum illum detineret, quod prorſus accidiſſet: nam eo erepto é periculo fracta eſt radix, mula cecidit, & ex caſu afflicta perijt. In Valle Chuliama torrens traijciendus erat rapidiſſimus, & quia vado non erat tranſitus, pontem oppidani ſtruxerant é lignis malé compactis. Hunc cùm intraſſet mula, anteriores pedes intra palos miſit, & aliquantulum luctata, demum ruit, & in aquam cum onere deuolueretur, niſi palus quidam obſtitiſſet, qui cùm ſatis eſſet infirmus, ſuffecit tamdiu, donec Archiepiſcopus é periculo liberatus, & paulò poſt eadem mula erepta. In Prouincia Guamabamba ſuſcepit itinera periculoſa: habebat mulam velocem, ſed proiectam. Delectabatur ea Archiepiſcopus, quia cùm eſſet ferox, & equitantes alios excuteret, ſe tamen molliter & accipiebat, & ferebat. Verùm quia agilis erat, & præceps Funambulam vocabant. Semel tollutim incedens cecidit, & ſeſſorem ſuum excuſſit in loco prærupto, in-

de ſi moraretur, eum præcipitem ſecum daret. Verùm illa quaſi rationis compos, & oneris conſcia, immobilis ſtetit. Expectauit, dum Archiepiſcopus extraheretur, & in tuto poneretur: qui cùm illęſus exijſſet, & mulam erectam vidiſſet, in eam rurſus inſiliens, reliquum iter confecit.

Viſitantem Xauxam Prouinciam, excepit pagus Chambragara. Ibi accepit, in vicino ſaltu, duos, treſve Indos montanos habitare, homines agreſtes, ac feros. Statuit eos quærere. Arripuit viam ſyluoſam, & præcipitem, quam ægré mula inibat. Ipſo ſtimulante, vt ire vlteriùs pergeret. Mula proiecta cecidit, & excuſſum Archiepiſcopum ad rubum proximum impegit. Ipſa per rupes, & ſaxa abrupta deuoluta interijt. Archiepiſcopo é rubo per veſtẽ ſuſpenſo, donec Lebretus eius Indus famulus aduenit, & ad ſe attraxit incolumem, & hilarem.

Aliàs in traiectu fluminis rapaciſſimi, cùm domeſtici ei timerent à curſu præcipiti, mulam ei ſubtraxerunt, & equum validum, & expeditum, quem omnes probauerunt ad tranſitum deſtinarunt. Verùm ille relicto equo, mulam conſcendit, dicens ſibi eſſe notam, equum ignotum. Iuſſit tamen Indum equo præire, & tentare, & monſtrare vadum. Intrauit Indus fluuium, cùm á fluuio, rapto aquarum vehementia equo, periclitari cœpit. Coactus deſilire, natatu ſibi conſuluit, & vix in aduerſam ripam euaſit: equó ab onere libero, etiam enatante, & eódem appellente. Deterreri debuit à tranſitu

eo ſpectaculo Toribius; ſed illum pericula accendebant. Quare ſigno Crucis edito, ſtimulauit mulam, & in fluuium ad ripam ita direxit, vt citra diſcrimen fluuium traiecerit.

Explicemus his periculis Toribium, & calamum ab his anguſtijs liberemus. Mollius aliquid ſcribamus. In nemore quodam prope oppidum Guanapum, cùm ſe altiùs in ſyluam abdidiſſet; poſt longã orationem diu ſe, & acerbé flagellauit. Sanguinis ingentem vim effudit, quo vepres aſperſi per multos menſes rubuerunt; tamque recens videbatur, quaſi ea hora é corpore prodijſſet. Moyobamba ciuitas obnoxia tempeſtatibus fœdiſſimis, ſæpé tonitruorum horrendo ſonitu, fulgętrarum lurido lumine, fulminũ crebro iactu affligebatur. Deduxit eò neceſſitas viſitandi Toribium; certior de periculo factus æra duo campana fieri iuſſit, quæ cùm ſolemniter benedixiſſet, pulſari ijs temporibus iuſſit. Exinde ceſſarunt tempeſtates. Reddita pax aeri, quiẽs incolis, omnis timor abſceſsit. Peruenit fama rei ad vicinum populum Prouincię Guari eodem malo ſæpé laborantem, rogarunt Archiepiſcopum, vt eos liberaret. Simili campanarum ſono ab omni ij ſunt moleſtia, & periculo explicati. Iter Moyobamba Carraſmallum intenderat. Æſtus erat immodicus, vrebat Solis ardor campos. Sterile ſolum natura ſua ſiccum carebat aqua. Sitis vrgebat, ac ex ea periculum erat. Turbari omnes, circumſpicere, remedium quæritare, ſcrutari ſyl-

uas,

uas,inueſtigare valles,indagare cauernas,ſicubi humor aliquis appareret, quo poſſent humectari arentes fauces. Nihil inueniri. Deſperare de vita cęperant. Sed Archiepiſcopo maior erat fiducia. Iuſſit in certo quodam loco humum effodere: haud multi laboris opus fuit,cùm ſubitò exilijt aqua ſalubris, & copioſa, quæ ſitim extinxit. Fons ille hodieque extat,& Archiepiſcopi vocatur, nec ſolùm ſitim leuat, ſed etiam morbos aufert. Ex eo Aqua Sancta alio nomine appellatur; Crux eum in medijs ipſis ſyluis indigitat. Sacerdotem grauibus de cauſis nocte,quam Luna illuſtrem fecerat è longinquo profectum,in via difficili, ac impedita, lux prope deſtituerat, cõſcius periculi;memor Toribij, Deum orauit, vt pro meritis illius ſibi conſuleret. Subitò ſemita plana,& tuta in confuſis callibus apparuit,quam cùm arripuiſſet breui,quò decreuerat, Luna lucente peruenit. Taugum, pagus is eſt frequens, cùm tauri è ſyluis truculenti,feſti imminẽtis cauſa agitãdi,inducerẽtur: vnus ferociſſimus é grege cùm ſe ſemouiſſet, inuaſit quemdam domeſticũ Archiepiſcopi: clamantem audiuit, & aperta feneſtra, exclamauit: *Liberet te Deus*, & benedictionem ei ſuam impartiuit. Ecce tibi ſubſtitit taurus, & ſe alijs aggregauit. Pallaſcæ adductus eſt ad eũ mutus Indus confirmatum. Rogauit: *qui appellaris?* reſpondit præter expectationem, *Petrus.* Sed deinceps conticuit mutus vt piſcis. Puella item muta alibi venit confirmanda, & interrogata, nomen

red-

reddidit: & obmutuit maiori miraculo obmuteſcentis, nempé erat fœmina, quám loquentis: cùm in homine minus eſſet loqui, quàm tacere. Ioannem Robletium ab annis retro quindecim ingentes, & acuti dolores cruciabant nulla ſpe remedij. Miſertus ei Toribius, confirmauit citò recreatum iri. Breui id conſecutus; eoque teſtimonium ſanctitatis ſanantis dedit. Inde mulier filium febricitantem obtulit: ſuperimpoſita manu depulit febrim, & matri liberum tradidit. Vni ex Indis, quē magna vis ſanguinis effuſa pené exanimabat, iuſſit applicari incognitam herbam; continuò ſanguis ſtetit. Multis alijs remediū adhibuit, impartita benedictione: qui quòd ingens numerus confuſionē parit, omittuntur. Illa res viſa mirabilior. Initiabatur in tēplo Incarnationis Limæ Archiepiſcopus Mexici D. Alphonſus Fernandezius à Bouilla, in tanta concurrentis populi turba puella ſuffocata, & conculcata perijt. Mortuam ad Aram maximam coram Toribio poſuerunt. Commiſeratione motūs, ſublatis ad Aram oculis, pié Deum precatus, ei manus impoſuit. Subitò reſpirauit. Oſculata eſt manum. Matrem, quę ibi mœſtiſſima aderat, quęſiuit, ac exhilarauit. Hoc etiam miraculo datum. In via montana ſacrificare cùm vellet, accepit non eſſe Hoſtiam, nihilominus perſtitit in propoſito. Miſitque Indum, qui ex alio pago deferret. Monitus longiùs diſtare, quàm vt poſſet opportuné redire, iuſſit tamen ire: ac confirmauit venturum

Euen-

Euentus fidem vbique fecit. Iuit, ac redijt intra duas horas Hoſtiam attulit. Ea fecit.

Ad alia diuerſi generis veniamus. Dono linguarũ fuiſſe prȩditũ iſta demonſtrant. Didicit hac linguã Quichuanam apud eas gentes communem. Alias item diuerſas, variaſque percalluit, ijſque omnibus loquebatur. At largiamur hoc ſtudio, & diligentiæ, illud non poſſumus aſſignare. Ad Panataguas Indos feros, ac barbaros ab omni cultu remotos, atque linguæ incognitæ, cùm prædicandi gratia veniſſet, in armatum eorum agmen incurrit. Ille interritus appropinquauit, vt alloqueretur: quem illi ſubitò venerati ſunt ad eius genua accedentes, cumque magnum murmur vocibus inconditis facerẽt, Interpres qui aderat ſe iniecit, quaſi Archiepiſcopo, quid illi vellent, explanaturus. Eum tamen ille detinuit, ac reiecit exclamans, opus non eſſe: ſeſe illos optimé intelligere, & ſe ab illo intelligi, & perrexit cum eis loqui & Hiſpanicè, & Latiné, ac vtriuſq; linguæ, cuius erant inſolentiſsimi, ſenſum perceperunt. Idem animaduerſum à ſocijs, qui cum eo ad alios Indos remotiſsimos penetrantes, experti ſunt, ita cum ijs egiſſe, quaſi antea inter ſe noſſent, & colloquerentur.

Prophetiȩ ſpiritus gratia donatum conſtat. Limæ certus quidam vir, Chriſtianus ſimulatus, ad eum venit, monens Calendarium Eccleſiæ ſcatere mendis, & correctione indigere. Accepit eum vehementer Archiepiſcopus, ac his verbis á ſe re-

mouit: *Crede (inquit) quod te mater Eccleſia docet, nec te hiſce quæſtionibus inuolue. Sin minus Sanctum in te Officium ſeuerè animaduertet.* Pauci exierant dies, cùm ille apprehenſus, & detruſus fuit in carcerem, & paulò poſt indè eductus palàm conuictus, hæreſis damnatus, & viuus exuſtus. Frater Marcus Garzia ex Eremitis Sancti Auguſtini narrauit ſe puerum à Toribio interpretis loco habitum, quòd nitidè loquebatur, ac linguam vernaculam, indigena quippè erat, bellé pronunciabat, audiſſe ſemel ab eo cúm per illius patriam tranſiſſet: Eiuſdem loci Parochum futurum. Nihil ſe tum minus cogitare. Poſtea abijſſe ad inſulas Philippinas, ibique litteris operam dediſſe, & iterum decurſis viginti annis in Patriam remeaſſe, & Ordinem S. Auguſtini ingreſſum, initiatum ſacris, & Eccleſiæ præfectum fuiſſe. Confirmationis Sacramentum adminiſtrante magno concurſu populi, infantulus alté vagire cœpit tanta vehementia, & pertinacia, vt turbaret conuentum. Toribius, cui non paruo faſtidio fuerat, poſt impletũ munus inquiſiuit quid diceret: *Fortè non eſſe baptizatum.* Ita erat. Igitur aqua lauit luſtrali, & plorare deſijt. Huius appendix eſt & illud. Inda quædam inter alios ad recipiendam Confirmationem adducta fuerat. Erant circiter trecenti. Hanc intuitus dixit: iam eſſe confirmatam. Negabant omnes. Ipſe noluit confirmare. Rem diſtulit, dum de eo conſtaret. Inſpectis libris conſtitit, duodecim ante annos confirmationem recepiſſe. In op-

pido Portuipiſci, vbi multos baptizauit, & cōfirmauit, interrogauit an quiſquam ſupereſſet: & audito in quodam monte loco aſperrimo paucos Indos habitare, incertum an Sacramentis muniti, necne? ſed viam eſſe plenam periculo, illicò eó contendit. In culmine inuenit caſam; ac in ea Indam vetulam animam penè agentem, ac minimè baptizatā. Actutum baptizauit, & ad cœlum à baptiſmo miſit. Prope erat alia, quæ pepererat moribundum infantulum. Illum item tinxit, & tinctus ad ſuperos euolauit. At non afflatus ille fuit diuinus? Ecquis enim inſpirauit illam mentem rogandi, illud propoſitum eundi? Affine eſt ſequens. Incedebat noctu per planitiem. Vidit in colle vicino lumen accenſum. Rogauit quid eſſet? nemo fuit, qui diuinaret: *Ego (inquit) ſentio moueri me ad inquirendum quorſum illa flamma ſit accenſa?* Retineri nequiuit. Aſcendit in collem eum ad locum. Reperit Indum ſolitarium morti vicinum. Acceſſit ſolatus eſt eum, cùmq; omnia Sacramenta neceſſaria accepiſſet, deceſſit. Extremam eius confeſſionem ſuſcepit, & qui moribundus erat tamdiu expectauit, dum adiit. Mortuum ibi ſepeliri fecit, impoſita ſuper loco Cruce, nec enim alibi tumulari pro tempore poterat.

Incidit in magnam puerorum turbam non admodum adultorum. Iuſſit eos ad Eccleſiam duci, eoſque confirmare inſtituit. Monitus eſſe paruulos. *Ecquis eos (inquit) poſtea confirmabit adultos?* Viſus &

ſuam prǣſenſiſſe mortem, quæ quarto poſt menſe contigit. Itaque præſtitit eos confirmatos reliquiſſe.

Præuidiſſe multa ante obitum ſuum, quæ ſubiungo argumenta ſunt. Lima diſcedens ſorori ſuæ vale dixit his verbis: *Abeo cara ſoror, non rediturus.* Illa plorauit. Ille diſceſſit, nec redijt. At diuinauit. Confecta viſitatione Guaraſij oppidi, ſemoto paulùm à turba, Curioni commendauit oues, ac ſuggeſſit: *Anno venturo non conſecrabo Chriſma. Verùm Quitenſis Epiſcopus mei loco conſecrabit.* Euentus dicto reſpondit. Nam & ille deceſſit, & Curio ad eum ſe Epiſcopum contulit, quemadmodum ipſe prædixerat.

Terminemus hoc caput. Paucis ante mortem diebus venit ad cœnobium Guadalupenſe: ac inde in populum nouum iter edixit. Comparantibus ſe famulis, vnus, cui erat data exportandi ſupellectilē cura, ad eum adijt: & *exeundi (inquit) tempus eſt; nam Sol inclinat.* Accepto verbo Archiepiſcopus, ad fratres in clauſtro congregatos: *Eia Patres mei decedendi iam tempus eſt*: quod ſæpè iterauit. At eis minus quid ſignificaret intelligentibus, ac reſpondentibus: *Propè occaſum sol eſt.* Rurſum ipſe repoſuit: *Tempus eſt ex hac vita exeundi. Mors appropinquat.* Et quidem ille ſuam mortem prǣnunciabat; quæ decimo ſeptimo, quàm inde diſceſſerat die, eſt ǫonſecuta.

CAPVT XXXII.

Alia euenta poſt eius mortem Mirabilia commemorantur.

HOrum primum eſt. Qua obijt mortem nocte Crucis ſpecies rubræ, ac coruſcæ in acie viſa eſt, quæ palàm, ac diu tenuit oculos ſpectantium, nemine illorum dubio quin eä Toribij vitam laboribus, & cruciatibus exercitam, iam glorioſam in cœlo redditam ſignificaret. Idque in eius laudatione ab oratore ſacro eleganter expenſum. Concurrit eodem Lunæ mira defectio, quæ longiſſima fuit, ac præter communes, ac ſtatas naturæ leges, quemadmodum idonei ſcriptores tradunt. Vnde nouum extitit opinionis de illius ſanctimonia argumentum. Cui acceſſit tertium. Nempe & Crucem, & Lunam apparuiſſe ijs, qui Limæ quadringenta prope milliaria ab eo loco Sagnę diſtantes habitabant. Quæ accuratè examinata, & cum illis Phęnomenis collata præſefert, mirum quiddam, & inuſitatum.

Fœmina diuturno, ac copioſo ſanguinis fluxu laborans, audito mortuum Archiepiſcopum eſſe, petijt mitti ad ſe puluinar, cui incubabat: nuncians ſpe teneri, ſi illud capiti ſupponeret, ſanitatis. Id cùm impetraſſet, ac quod decreuerat pręſtitiſſet, ſanguis penitùs ſtetit. Illa ſe mouit lecto, & gratias actura in templum venit.

Quo tempore corpus Sagna Limam deferebatur, fluuius, quem tranſmitti oportebat, collectis hyemalibus aquis magna mole ferebatur. Stetere omnes: & longior mora futura erat, quam pro facultatibus vehentium onus. Itaque tumultuari cœperunt: nemo tamen committere ſe audebat periculo: Indis præſertim, qui audaciores eſſe ſolẽt, timentibus. Vnus tamen Scholæ Magiſter, qui prę erat cęteris, cui commiſſa fuerat corporis cuſtodia, neſcio quo inſtinctu ſtimulatus, inſiſtere cœpit, vt intrarent fluuium, præmiſſa lectica, quæ portabat corpus, confirmare ſe eo vadum repertum iri. Igitur actæ in amnem mulæ tutó traijcere cœperunt, cæteris eas ſequentibus, & detumeſcente amne, aperiente ſe vado, donec omnes in ripam ſalui, & hilares euaſerunt. Ac vt teſtatior eſſet res: à tranſitu rurſum creuit fluuius, ita vt neminem admitteret, & traiecturos deterreret. Obſeruatum poſtea quo in loco aduerſæ ripæ ſubſtitere, in eo eſſe arborem ingentem opacam, notam omnibus, prope quam Archiepiſcopus ſeſe vſque ad ſanguinem flagris ceciderat, perinde ac illa meta vię tranſeuntes moneret beneficij ob ſanguinem ibi fuſum accepti, cui aquæ ceſſiſſent. Ferunt quotquot infirmi ad lecticam acceſſerunt, omnes ſanitatem recepiſſe. Certé propé Truxillum Indi duo filiolum capſę applicuerunt æſtuantem febribus, à tactu ſanum ijs depulſis receperunt. Ingrediente Chaum pagum obtulerunt parentes Hiſpani filium moribundum lectica-

rijs

rijs orantes, vt eum intra lecticam breui collocarent, non multùm à mortuo diſſimilem. Admiſſum ſubitò valentem viderunt. Alius Hiſpanus, in cuius domo bis pernoctarat in itinere Archiepiſcopus, eum mortuum domi excepit, fuitq; ibi dies duos, magno illius bono; quem enim fililium é graui morbo affixum lecto habebat, eum ſaluti reſtitutum vidit. Valle Guambachia tranſiturum erat ſacrum cadauer. Habitantem ibi Ducem Hiſpanum monuere quidam agreſtes de lecticæ aduentu. Exijt domo cum filio pené conclamato. Impoſuit lecticæ periculo exemptus eſt. In oppido Santæ iacebat deplorata valetudine Petronilla Hiſpana puella. Ingrediēti lectica occurrit vetula huius aura cū caro onere manib. excepto: tetigit capſam Petronilla, & recreata eſt. Guaylæ mulier filiam mancam, & claudam domi habebat inutile truncum. Poſtulauit dari ſibi aliquid reliquiarum Toribij, quo ſtatueret iacentem. Accepit partem ſindonis, eo ſtatim inuoluit filiam, & euoluit ex lecto. Ambulauit illis vinculis naturalibus exſoluta. Eadem ſindon alteram puellā paralyſi impeditā, cùm ea ſe implicaret, morbo explicuit. Grauedine diuturna, & moleſta mulier laborabat. Prætereuntem illam lecticam defuncti ſiſtere precibus coegit, & immiſſo intus capite grauedinem expulit. Eo viſo plures ægroti acceſſerunt, nemo eorum non valuit. Limam, vbi peruenit Indus febri lethifera laborans corporis tactu febrem extruſit.

Duo nobiles Hiſpani coniuges extremo laborabant morbo; à medicis derelicti, cùm ſe ad mortem compararent, Presbyter ad eos venit portans Archiepiſcopi lipſanothecam: ſuaſit vt illius implorarent opem, ac reliquit apud eos vaſculum. Vouerunt ituros ſe pedibus ad eius ſepulchrum, & nouemdiale ſacrum fieri curaturos. Ecce ſibi media nocte pulſari vehementer portæ cœperunt, rogatique pulſantes quid vellent, Viaticum ſeſe pro vno eorum, nempè vxore, parare. Mirati, quòd non vocati veniſſent, illam quippè non permittebat morbus Euchariſtiam deglutire, reſerarunt fores, & neceſſaria pararunt. Introducta *Synaxis* eſt, & vxor expiata conſcientia ſumpſit Viaticum. Verùm illo accepto manſit in vita, & breui ſalutem recepit: eo confirmatus maritus etiam ipſe conualuit. Hic D. Ludouicus à Cordoua, & Figueroa, illa D. Franciſca Biueria appellati. Illud conſtat. Pileum eius, quod Limæ habetur, inſigne aduersùs omne genus morborum amuletum exiſtimari. Illud ad D. Claræ monaſterium diligenter cuſtodicuſtoditur. Sed nullum maius iſtius ad ſanctitatem viri argumentum, quàm ipſummet corpus incorruptum, & odoriferum tot annos conſeruari, ea ratione, qua ſupra diximus. Illud addidero. Qua nocte apud S. Dominici corpus fuit, Frater Ioannes Michael eiuſdē cęnobij grauis, & doctus Religioſus curioſiùs voluit illud inſpicere. Acceſſit propiùs, & illato lumine, notauit oris, & corporis habi-

tum

tum ſimilem dormienti ſenſit odorem ſuauiſſimũ, veſtes vidit recentiſſimas. Tetigit manus,inuenit molles,& tractabiles. Cũq; ardore ductus auderet manum inuadere, & digitum dentibus apprehendere,& auellere, nihil potuit proficere. Tandem, quòd obſtinatus erat,cultrum eduxit, ac pręcidere digitum ſumma vi aggreſſus,reſilijt culter,quaſi ad lapidem impactus eſſet. Itaq; metu correptus diſceſſit,ſeſeq; ex illo,vti aiebat, periculo ſubduxit. Archiepiſcopus, quem vngues, & dentes ferarum viuum lędere nõ potuerant,ſeſe à dentibus, & cultri ictibus mortuus liberauit: nec paſſus eſt per feritatem violari,nec per pietatem corrumpi. Sacer inter cineres Phœnix immortalitatem anhelans, animi ſimilis immortalis:nulla ſui parte caducus.

CAPVT XXXIII.

Fama de illius Sanctitate conſtans aſſeritur.

VIrtutibus,geſtiſq; pręclaris Sancti ſibi nomẽ comparauit;nec alio eum vulgus afficit,qui Sancti nomine appellat, eoque cùm dicto Toribium ſignificat, tum audito Toribium intelligit. Vix dum mortuo laudationem habuit Doctor Petrus Mugnozius Eccleſiæ Decanus, nec alio eum nomine, quàm *Sancti* appellauit. Illius obitum deflens confirmauit: expetiuiſſe pęnas Deum à peccatoribus eius Regni. Videre ſe impendentia populis mala eo præſidio deſtitutis. Vnum ſupereſſe remedium, ſi de illius conſecranda memoria apud

Summum Pontificem agitarent. Tum placatum iri Deum, cùm ille in Ara collocatus eſſet. Cuius acerba mors fuerat, is iam tum maturus Apotheoſi iudicatus, & qua die demiſſus in ſepulturam, eadem de illo euehendo in Altari cogitarunt. Archiepiſcopus D. Ferdinandus Vgartius ſingulare ei, ac illuſtre ſanctitatis teſtimonium dedit, ex quo ſępè auditum: *Pudere ſe ſuæ ſocordiæ, quòd minùs veſtigia Toribij ſequeretur: Venerari tamen, quem ſequi non poterat.* Populus, quoad per leges Pontificias licet, & illius nomen reueretur, & oſſa veneratur, ac niſi earum obſtaret reuerentia, ſuæ in eum pietatis, & obſeruantiæ, & cultus argumenta præberet. Continent ſe in officio, ne noceant conſecrationi optatæ. Lipſana illius ſummo ſunt à pluribus ſtudio conquiſita: etſi qui ea obtinuerunt, ingentis ſe voti compotes factos eſſe declararunt, ac quanta illorum virtus eſſet reapſe ſenſerunt. Huic ſacræ teſtimoniorum fabricę coronidem imponat authoritas Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Feliciani à Vega Limenſis Nobilis Ciuis Primarij, ac emeriti Sacrorum Canonum Lectoris, & trium Archiepiſcoporum Prouiſoris, ac Vicarij Generalis Canonici, & Phonaſci illius Metropolitanæ Eccleſiæ: deindè Epiſcopi Popayani, mox Pacis: denùm Archiepiſcopi Mexicani deſignati: quem tamen Archiepiſcopatum morte præuentus, magna illius Eccleſiæ iactura gerere non potuit nactus ſepulcrum, vbi Cathedram poſiturus erat. Hic

hu-

huiuſmodi teſtimonium Toribio ſanctitatis dedit. Se ante annos quadraginta nouiſſe Illuſtriſsimum D. Toribium Alphonſum Mogrouegium defunctum Archiepiſcopum Limenſem ſanctæ memoriæ, cumque eo deinceps familiariter vixiſſe donec deceſsit Anno 1606. ac de illo ſemper ita iudicaſſe, vt probitatis, integritatis, innocentiæ, doctrinæ, officij exemplar duceret: idq; omnes vnanimi conſenſu confirmare: adeò vt vulgò SANCTVS appellaretur. Et quidem iure. Erat quippè Paſtor manſuetus, candidus, humilis, amans iuſti, obſeruans æqui, flagrans charitate in Deum, amore in proximos, mira religione, ac pietate Eccleſiaſtici iuris ſtrenuus aſſertor: Sacrorum Canonum vindex: Conciliorum peritus: Apoſtolicarum litterarum, & ſanctionum cultor, cuſtos, & obſeruator diligentiſsimus. Celebrauit Prouinciale Concilium vnum Anno 1533. quod à Sede Apoſtolica fuit approbatum. Alia renouauit, quorum Decreta Romam miſit. Synodos Diœceſanos plures congregauit Eccleſiaſticæ diſciplinæ vtiles: ac in ijs ſingulare ſuæ doctrinæ, ac pietatis ſpecimen prębuit. In obeundis ſacris muneribus, diſtribuendis beneficijs ſplendorem cum iuſtitia coniunxit. Officij ſui memor, & tenax nihil pręter miſit eorum, quæ ad rectam illius adminiſtrationem conducebant. Conſtat innumerabilem Fidelium multitudinem confirmaſſe. Nihil eo vigilantiùs, nihil diligentiùs, nihil religioſiùs extitiſ-

ſe. Addidit eiuſdem conſtituta, & decreta ſicubi inuenirentur in tanto haberi honore, vt pro Oraculis accipiantur. Propterea & ob mira quædam ab eo patrata, tum in vita, tum poſt mortem, quæ maiora quàm pro humana virtute viſa ſunt, dignũ ſe illum exiſtimare, qui Sanctorum numero, quemadmodum tota Limenſis Eccleſia, imò & Americanus ille Orbis deſiderat, adſcribatur. Idque magnoperè conducere ad ſtimulandos animos Paſtorum ad officium & ſuſcipiendum, & præſtandum, & explendum ſuum, & ouium ad pietatem, & religionem exercendam, & honorem ijſdem ſuis Paſtoribus habendum. Itaque gratum ſibi fuiſſe, quod ad hoc reddendum teſtimonium rogatus fuerit, quo eximiam de Toribij ſanctimonia, & miris operibus exiſtimationem oſtenderet, eamque Sanctæ Apoſtolicæ Sedi, cuius & minimus, & fidus eſſet filius probaret, præſertim cùm in procinctu iam eſſet ad iter Popayanum, cuius erat deſignatus Epiſcopus, relicta adminiſtratione Archiepiſcopatus Limenſis: atque adeò teſtimonium ſuum differri non poſſet. Itaq; optare ſe, ac orare Summũ Pontificem, vt ratos habere vellet ſupplices libellos ſuper Apotheoſi Toribij ab illa Eccleſia confectos, & oblatos: & communi Americæ Chriſtianæ voto ſatisfacere. Et quidem ille huic inſtrumento ſolemni more ſubſcripſit.

Felicianus Epiſcopus Popayanus coram me Licentiato Didaco de Morales publico Notario.

CAPVT XXXIV.

De illius memoria conſecranda agi, & in Indijs, & in Hiſpania cœptum.

ANno Domini 1631. (quo anno Madritti eram) Decanus, & Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ Limenſis pro ſuo in Toribium ſtudio, & amore ſupplicauit Illuſtriſſimo D. Ferdinãdo Ariæ Vgartio tunc Archiepiſcopo, vt ſibi poteſtatem faceret inquirendi ritu ſolemni de virtutibus, & geſtis Toribij, vt collectis vndique & teſtimonijs, & euentibus mirabile inſtrumẽtum formarent, eumque rité confectum ad Pontificem Romam mitterent. Annuit Pontifex: & quòd inſtabat profectio ad luſtrandam Diœceſim, per quã ſibi non licebat id præſtare, rem commiſit certo, & idoneo viro Ioanni Caprerio Sacræ Gazæ cuſtodi, cui ſcribam aſſignauit Didacum Moraleſiũ doctum hominem, & in Academia laureatum. Ad teſtes conuocandos, & audiendos, & examinandos elegit Ioannem Ximenium Dominguezium, qui ſummæ fidei, & integritatis erat, ac in Eccleſiæ cauſis verſatus. Centum ex varijs Prouincijs collecta teſtimonia, & probata magnam Toribio ſanctitatis fidem fecerunt. Ex omnibus codex de more confectus, & Romam miſſus, & ibi Sacræ Congregationi Rituum oblatus. Cardinali Sabel-

lo munus datum acta illa examinandi, & cætera, quæ ad conficiendum negotium ſpectabant,obire. Patronus cauſæ inſtitutus Alexander Muſonius. Atque vt faciliùs, ac certiùs collecta teſtimonia & noſcerentur, & inter ſe cauferrentur libellus compoſitus,& typis mandatus,qui pet manus omnium circumferretur.

Philippus Quartus Rex Catholicus factus de re certior,pro ſua ingenita pietate, & in Toribium affectu litteras ſuo Regio munitas ſigillo ad Pontificem miſit,oratum, vt dignarétur eum Sanctorum faſtis adſcribere. Is erat Vrbanus Octauus, quem præclaræ dotes eo dignum munere effecerunt: Doctorum,& Sanctorum hominum amator: virtutis, ac religionis admirator,& cultor. Atque vt maius pondus ineſſet litteris, præcepit Cardinali Gaſpari Borgiæ, vt eas Pontifici traderet. Nec eo contentus,iterum ad eumdem ſcripſit,iniunxitque ſuo in ea Curia Oratori Marchioni Caſtelli Rodericij, vt epiſtolam Pontifici redderet. Quo mortuo,non remiſit Rex admodum pius ſtudium: nam ad Innocentium Decimum tertias ſolemnes litteras miſit, & priuatis monuit Comitem Ognatenſem ſuũ apud eum legatum,vt viuæ vocis epiſtolæ vim adiungeret. Eodem, is erat 1648. anno, cùm minùs quàm cuperet procedere rem vidiſſet, ſtimulatus religione ſcripſit Archiepiſcopo Limæ, vt certum aliquem,& honoratum virum deligeret,cui imponeret eam promouendæ cõſecrationis Romę apud

Pontificem prouinciam, & quo id accuratiùs, & expeditiùs fieret, quæcumq; in Romana Curia ſuper ea re geſta fuerant, ſubtiliter, ac perſpicué expoſuit. Quare communi omnium Canonicorum ſuffragio delectus ad id eſt vir ſummæ in Deum pietatis, maximæ prudentię, mirę integritatis, inſignis litteraturæ, notæ nobilitatis, celſæ indolis, ſpectatę virtutis Licentiatus Ioannes Franciſcus à Valliſoletto Limenſis ciuis, Canonicus, & Sacellanus Chori Eccleſiæ Cathedralis. Is, quód iampridem ſtudio conſecrationis tenebatur, rem alacriter ſuſcepit, & collectis quæ reliqua erant teſtimonijs, & alijs ad cauſam faciētibus, in Hiſpaniam, quamprimùm potuit, nauigauit: & acceptis quartis ab illo Rege litteris officioſæ pietatis pleniſſimis, quas Summo Pōtifici redderet, adiunctis alijs ad Cardinalem Triuultium, Romam venit, & cauſam ardētiori ſtudio renouauit. Scripſerunt item Eminentiſſimus Cardinalis Moſcoſus Toletanus Archiepiſcopus, & tota illa, quam Hiſpani Primariam dicunt, eiuſq; Antiſtitē Primatē Eccleſia: necnon Supremus Sanctæ Inquiſitionis Moderator Generalis, & Ioānes Palafoxius Mendoza Epiſcopus Pleb-Angelorum apud Indos, tunc Madritti degens. Prę-tereà Eccleſia Legionenſis, & Maioricenſis, & Collegium maius S. Saluatoris Ouetenſis, & nonnulla alia Salmanticenſis Academiæ. Tota eo ſtudio commouebatur Hiſpania, ſecuta Indiarum, vbi ille vixerat, & deceſſerat Regna. Dederant ex his ad

Pontificem ſupplices litteras Petrus Villagomenſis Limæ Archiepiſcopus,ac Eccleſia Limenſis : vnde miſſa eſt deſcriptio corporis Toribij in ſarcophago integri, ac incorrupti, ad ſtimulandam pietatem. Scripſerunt Epiſcopi Tuſqui, Arequipæ, Panamæ, Truxilli. Hi Patres. Ex alijs Prorex Comes Salua-Terræ, Prætor, & Magiſtratus Ciuitatis, Academiæ,& omnis Ordinis Religioſi. Quæ communia ſtudia, quamquam ſumma eſſent, non æquabant vota priuatorum, quæ ſi excipi litteris, ac externis monumentis poſſent, multo illi manifeſtis præſtarent. Viuit quippé in omnium cordibus Toribius: eiuſque memoria nominis arcanis illis pulſibus, quibus ſe vita prodit, nobiliter animatur. Quæ ab iſto, quem proximé diximus viro rem procurante, geſta ſint & Limæ, & Romæ tum Alexandro VII. tum Clemente IX. ne filum hiſtorię abrumpamus, in appendice commodiùs referemus.

CAPVT XXXV.

Authorum, qui de eo honorificè aut ſcripſere, aut dixere Catalogus, ac quorumdam conceptis verbis teſtimonia.

SEligimus grauiorum Authorum teſtimonia, quæque eſſe poſſint idonea Sanctitatis Toribij argumenta.

Frater Alphonſus Damus Gauilanus Ordinis S. Auguſtini in hiſtoria S.Mariæ Virginis Capocaua-

nae

nę excuſſa Limæ anno 1621. Toribium Sanctum appellat.

P. Antonius Ruizius Montoya Societatis Ieſu in libro Hiſpanicé de expeditione ſacra ad Indos ſcripto, eodem eumdem afficit nomine: *Sanctus (inquit) Archiepiſcopus Toribius:* idque ter repetit.

Fr. Bonauentura à Salinis, & Corduba, Franciſcanæ Obſeruantiæ, Commiſſarius Indiarum Generalis in Memoriali Hiſtoriarũ enarrat encomiaſticé vitam Toribij, *& puriſſimum, & ſanctum* vocat.

Licentiatus Didacus Lopezius Legionenſis in vita Archiepiſcopi Ferdinandi Ariæ Vgarti, *Sanctum* Toribium dicit: refertque eum Archiepiſcopum mirificé coluiſſe Toribium, ac illud vſurpare ſolitum, ſe ſanctitatem illius venerari, & veſtigia ſequi, ac vitam imitari ſtudere: ac præclaré ſecum actum fore exiſtimaret: ſi ad eius pedes ſepeliri cõtingeret.

Doctor Ioannes Solorzanus Pereira Eques Sancti Iacobi Limenſis primùm Prætor, poſteá Madritti in ſupremis Indiarum, & Caſtellæ conſilijs Senator in libro Politicæ Indicæ *Sanctum* Toribium nuncupat: & in libro de Indiarum ritu. *Idem (inquit) conſuluiſſe video inſignem illum, & non minùs ob vitæ ſanctimoniam, quàm ob dignitatem reuerendum Dominum Alphonſum Toribium, virum prorſus mirabilem.*

P. Barnabas Cobus Societatis Ieſu in Hiſtoria fundationis Limæ: *Mortuus eſt (inquit) Toribius magna opinione ſanctitatis, quemadmodum vixerat. Fuit inſignis eleemoſy*

na-

narius, ſtudioſiſſimus ſuarum ouium precipuè Indorum, ad quos omnibus Dominicis concionabatur. Sępè *ſancta vita hominem*, interdum etiam *Sanctum* appellat.

P. Antonius Leo Pinelus in vna eius à ſe ſcripta Hiſpanicé, eum mirificé commendat.

Fr. Antonius Calancha Ordinis S. Auguſt. in ſuo *Chronico moralizado*, vt ait, quinquies *ſanctum* vocat.

P. Alfonſus Mendieta Franciſcanus in vita Venerabilis Patris Franciſci Solani. *In Sancto (inquit) Toribio inuenti ſunt omnes theſauri gratiarum requiſiti ad Epiſcopos, & Principes Eccleſia à S. Paulo Apoſtolo.*

Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus D. Petrus à Villagomez eiuſdem Toribij nepos, Limæ item Archiepiſcopus in epiſtola Paraenetica ad Indos pro euertendis idolis Limæ cuſa: nominatis alijs eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopis, Toribium *Sanctę memorię* appellat.

Magiſter Ægidius Gonzaluez Auila Chroniſta Regius Indiarum, & Caſtilliæ vir ſolidæ, ac variæ eruditionis, quo ego Madritti familiariter sũ vſus, in Theatro ſanctæ Eccleſiæ Salmanticenſis, ſic ait: *D. Toribius Archiepiſcopus Limę, vir Sanctus, de cuius canonizatione agitur.*

Fr. Didacus à Cordoua Pater perpetuus Prouinciæ Duodecim Apoſtolorum Peruanæ Notarius Apoſtolicus, & Cronographus Religionis ſuæ, in ſuo Theatro Eccleſiæ Metropolitanæ Limenſis ita de Toribio: *Illuſtriſſimus, & Sanctus Archiepiſcopus Toribius Alphonſus.*

Doctor Petrus à Regina Maldonatus Canonicus Truxillenſis in libro, quem inſcripſit *Præfectus Antiſtes*, Toribium ideam eius muneris facit, eumque ſæpè *Sanctum* vocat, ac omnia fermè, quæ dat documenta Paſtoribus, eius exemplis confirmat.

Licentiatus Antonius Legionenſis Pinelus Relator Concilij ſupremi Indiarum, & Cameræ integrū librum de vita Toribij ſcripſit, ac edidit: in quo illius præclara geſta deſcribit: ac inſignia de eo teſtimonia à viris doctis, & pijs refert: qui liber anno 1653. in lucem exijt cum facultate Superiorum Madriti, quem qui legat nihil ad Toribij commendationem deſideret.

Verùm illa ſunt maioris pōderis teſtimonia, quæ continentur in litteris Summorum ad eumdē ſcriptis Pontificum, de quibus anteà commemorauimus; ſunt quippè totidem oracula. Extant verò ea in litteris Gregorij XIII. Aprilis 17. Anni 1583. & 1584 Sixti V. in litteris reſcriptis ad conſultationes Concilij, & alijs Cardinalis Caraffæ vice Sixti 28. Octobr. anni 1588. & rurſum alijs Cardinalis Montalti, Sixti eiuſdem nomine 19. Decemb. anni 1588. & Gregorij XIV. 17. Maii 1591. quam adduximus cap. 22. in qua ſunt illa egregia verba: *Gratias tibi maximas ago pro ardenti ſtudio, quo teneris Deo inſeruiendi, & pro adminiſtratione vaſtiſſimi Archiepiſcopatus, & pro cura exhibita in doctrina præſtanda ouibus, tum in Concilijs in Eccleſiæ, tum extra in viſitationibus continuis Diæceſeos perſonalibus.* Quæ eſt ſumma omnium munerum, &

officiorum, quæ Epiſcopus obire debet: cùm præſertim addat: *Quæ ſanè præclara opera non mihi ſolùm ſolatio, & exemplo humilitatis, & patiētiæ, & charitatis fuerunt, ſed etiam toti Eccleſiæ*. Quæ ſunt præcipuæ Sanctorū hominū virtutes. Demum Clemens VIII. qui Toribium plurimi fecit, epiſtolam ad ipſum ſcripſit plenam affectus, & ſenſuū, qua illi concedit prærogatiuā Indulgentiarum, de qua nos ſuperiùs diximus. Nec opus eſt alia teſtimonia arceſſere, cùm ſatis ſint iſta Pontificum, quæ numero quatuor abſolutum, eum omnibus numeris fuiſſe ſignificant. Nullum certè poterit illuſtrius de illius Apotheoſi eſſe præiudiciū: quod ſperamus breui re à S.D.N. Clemente Decimo exhibendum, ad Dei gloriam, & Catholicæ Fidei, & Eccleſiæ ornamentum.

Atque hic ego ad te cœleſti quodam pietatis ſenſu commotus ſtylum, ó Toribi, conuerto. Tu ab infantia Diuina prouidentia ad omnem virtutem informari cæpiſti, & vnà cum lacte religionem imbibiſti. Tu adultus, & in litterario curriculo, & in perfectionis ſtudio ſingulare doctrinæ, ac pietatis ſpecimen præbuiſti. Tu delicias, tu cupedias, tu lenocinia, tu blanditias tamquam ſcopulos, ſyrteſque vitaſti, teque ad portum ſalutis æternæ contuliſti. Tu corpus tuum ciliciis, flagellis, macerationibus, inedia, vigilia, labore cruciaſti, vt ſpiritui obediret. Tibi cordi oratio, preces, meditationes, Pſalmi fuerunt. Tibi opes, diuitiæ, pompæ, faſtus, luxus, ſplendor rerum humanarum viluerunt. Te

nulla

nulla tenuit ambitio, nulla cupiditas allexit, nulla cepit auaritia, nulla infecit corruptela, nulla voluptas attraxit, nulla illecebra corrupit. Te pudor, te integritas, te fides, te modeſtia, te iuſtitia, te temperantia delectarunt. Honores inuitus accepiſti, moderatus geſſiſti: iis decus, & ornamentum addidiſti: & meritis anteceſſiſti. Dignus gerendo viſus maioribus, quàm quos obtinuiſti. Archiepiſcopus Limæ creatus ideam optimi Antiſtitis te præbuiſti. Religioſus in Deum, pius in pauperes, aſſiduus in ſacris, erga oues prouidus, blandus in bonos, aſper in prauos, virtutibus amori, vitiis terrori. Inter opes pauper, inter honores modeſtus, inter negotia quietus, inter cauſas iuſtus, inter diſſenſiones mitis, inter moleſtias ſuauis, inter contentiones manſuetus. Tu ius Eccleſiaſticum integrum conſeruaſti, ab omni iniuria aſſeruiſti, ac pro eo retinendo, & propagando, fortunas omnes tuas obieciſti, paratus, ſi opus eſſet, caput offerre, & ſanguinem profundere. Tu res ſacras ordinaſti, auxiſti, ornaſti, amplificaſti, locupletaſti. Tu Sacramenta rectè, & ſanctè tractaſti, integrè adminiſtraſti, omnemque iis reuerentiam præſtitiſti. Tu barbaros, & immanes populos ad humanitatē reduxiſti, ab idololatria, & ſuperſtitionibus abduxiſti, à vitiis auocaſti, ad fidem Catholicā perduxiſti, ad pietatis ſenſum formaſti, & Chriſtianis ſacris imbuiſti. Tu gentes remotiſſimas, & ferarum more viuentes, rupibus ſuis, antriſque ſimiles, truci, ac feroci ingenio, aſſuetas rapto, dedi-

tas cædibus,ſanguinem anhelantes,vix ſpeciem, & formam hominum retinentes cicuraſti, & ad doctrinam fidei accipiendam emolliiſti. Tu eis dulci alloquio iras è corde furias è pectore,gladios,& tela è manibus eripuiſti. Tu per accliuia montium, per aſpera ſaxorum, per ardua rupium, per concauá vallium, per implexa ſyluarum,per abſtruſa nemorum, per præcipitia confragorum, per horrida teſquorum oues tuas quæſiuiſti, ne perirent, eaſque ad Chriſti ouile ſudans ſæpè, & anhelans ſub onere reduxiſti. Ab hoc officio nulla te periculi facies deterruit,non fęditas tempeſtatum, non imbrium, ac nimborum vis, non niuium frigidarum altitudo, non æſtus ardentis vehementia, non incurſus beſtiarum, non rapiditas fluuiorum, non impetus torrentium, non montium ruinæ,non hiantis terræ voragines auerterunt. Vnius ſæpè animulæ barbaræ ſalutem vitæ propriæ antepoſuiſti. Luctans cum inopia, cum egeſtate, cum ægritudine, cum ſudore, cum moleſtia,cum miſeria,cum domeſticis neceſſitatibus te remorari conantibus, obfirmato animo ad eas ire perrexiſti, omnia incommoda, & pericula patientia fregiſti. Hac arte Fidem Catholicam aſſeruiſti, ornaſti, propagaſti. Eò te ſalutis procurandæ ardor perduxit, quò non auaritia,non auri ſacra fames penetrauit. Tranſiluiſti fines cupiditatis, & multò plus vltra cucurriſti. Puduit ſui auaritiam, cùm te vidit antecedentem,ſeque tarditatis arguentem. Didicit quantò eſſet velocior, ac

expe-

expeditior paupertas, quàm copia. Mirata eſt ibi te pecunias effundere, vbi illa quærebat. Expalluit nouo verecundiæ pallore aurum, cùm ſe vidit à te contemptum: erubuit nihil apud te ſe poſſe, qui apud alios tantùm ſe poſſe compererat. Argentum vbi te vidit planè gelauit, niuem concretam in metallo illo exiſtimares. Potentiorem te Sole ipſo dicebant, quòd quæ ille metalla pretioſa in terrarum imo generat, te luce palā corā ipſomet Planeta diſſolueres, prodigeres, diſſipares. Docuiſti illā Chriſti Domini tui pręclaro exemplo ſententiam: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Imò & alienæ, cùm tu pro alienis ſeruādis omnes mundi diuitias, & opes contemneres. Quamquam non eſt ducenda aliena illa anima, quæ Paſtoris curæ committitur. Hæc enim tranſit in propriam propter obligationem officij. Peccare tu nos, Toribi, docuiſti illum Paſtorem, qui ſalutem ſuæ ouiculæ omnibus diuitijs non anteponit, cùm illa Chriſti ſit ſanguine redempta, cuius eſt pretium infinitum. Et verò hæ, quæ foras emanarunt, ad proximorum ſalutem virtutes in animo tuo radices habuerunt: ibi natæ, ibi adultæ, ibi perfectæ. Priùs te, ac tuos & inſtituiſti, & informaſti, quàm ad alios foris poſitos inſtruendos accederes. Tu fide, ſpe, & charitate ſumma præditus docebas, ac formabas tuos. Quicquid imperabas, præmonſtrabas exemplis. Legem te proponebas viuam, ad quam tui intuentes tamquam ad ſpeculum ſe

componebant. Eras vero cùm imitandus omnibus, tum admirandus. Quas exercebas virtutes, eæ ſic eminebant, vt & accenderent animos propter benignitatem, & deterrerent propter magnitudiné. Sed hæc admiratio in Deum redundabat, quem omnes laudabant, cùm in te illius gratiam vberrimam admirarentur, quæ te tot dotibus, & donis cumulabat. Macte virtute, ò Toribi, macte pietate, macte dignitate. Sic itur ad aſtra, quó te tua ſingularia de Sede Apoſtolica, deque Catholica Eccleſia merita euexerunt. Nactus es viuus quatuor Pontifices Maximos, qui te & nouerunt, & commendarunt, Gregorium XIII. Sixtum V. Gregorium XIV. Clemẽtem Octauũ. Nactus es nunc mortuus Optimum Pontificem Clementem X. qui eas virtutes, quas in te laudare, & mirari ſolebat Clemens Octauus, debitis honoribus remunerabit. Ille quippe eiſdem, quibus tu virtutibus præditus, iiſdem ſtudiis deditus nouit, quid debeatur meritis tuis, quæ poſtulant conſecrationem. Hanc Eccleſia tua, hanc Hiſpania tota & optat, & orat; quarum precibus commotus Clemens pro ſua Religione, ac pietate Sanctorum te faſtis adſcribet; nec diutiùs nomen tuum, per quod Dei nomen patuit, & ſicut oleũ effusũ per vniuerſitatem eſt orbis propagatum, in obſcuro eſſe patietur. Pertinet hoc ad decus Chriſtianæ Reipublicæ, ad ornamentum Eccleſiæ, ad præſidium Chriſtianæ Religionis.

F I N I S.

OTECA NAZ